2. Grammatica Philippi Melanchthonis. Witebergae 1602. Von dem Secundaner L. Suder.
3. Propyläen zu den vier Büchern des Albius Tibullus, von J. H. E. Delagrise, Dr. Helmstedt, W. Beyer. Geschenk des Verfassers.
4. Schriften der Universität zu Kiel aus d. J. 1870. Bd. XVII. Kiel 1871.

Von der Verlagsbuchhandlung von Fr. Frommann in Jena:

5. Fr. Jacobs Latein. Lesebuch.
6. Fr. Jacobs Griech. Lesebuch.
7. Kries Lehrbuch der Mathematik, 2 Bde.
8. Stüves Weltgeschichte, 2 Bde.
9. Weidemanns Latein. Lesebuch, 3 Bde.
10. Classen, Friedrich Jacobs in seinem Leben und Wirken dargestellt.
11. Lübker, G. W. Nitzsch in seinem Leben und Wirken dargestellt.
12. Stark, Kunst und Schule.
13. Grant, English Litterature.
14. Oswald, Anecdotes for scholars.

Ferner Geschenk des Verfassers:

15. Johannes Sturm, Strassburgs erster Schulrector, in seiner Bedeutung für die Geschichte der Pädagogik, von Dr. L. Kückelhahn, 1872.

Die Aufnahme neuer Schüler geschieht Montags am 8. April Morgens 10—12 Uhr im Gymnasialgebäude.

Professor **Th. Cunze.**

Vereinigtes Helmstedt-Schöningensches Gymnasium.

Zu der

öffentlichen Prüfung

am Donnerstage, dem 26. März 1874

werden

die Aeltern der Zöglinge sowie alle Gönner und Freunde der Anstalt

ehrerbietigst eingeladen.

Helmstedt.

Druck von J. C. Schmidt.

1874.

Ordnung der öffentlichen Prüfung.

Vormittags von 9—12 Uhr.

Choralgesang.

1. Prima: Geschichte. Rosenbaum.
2. Secunda: Mathematik. Dauber.
3. Tertia: Englisch. Cunze.

Nachmittags von 2 Uhr an.

1. Quarta: Latein. Knackstedt.
2. Quinta: Religion. Broistedt.
3. Sexta: Rechnen. Rosenthal.

Vorträge: Aufführung von Scenen aus Sophokles' Antigona vv. 384—584 durch die Primaner Oskar Lindenberg, Udo Rusche, Karl Krämer, Wilhelm Bötjer, Hans Buttermann.

Rede des Marius an das römische Volk (Sall. Jug. 85), vorgetragen von dem Secundaner Mund.

Rede Alexander des Gr. am Ende seiner Expedition in Asien (nach Curtius), vorgetr. von dem Tertianer H. Erdmann.

Declamiren werden:
der Tertianer G. Höpner: Tod des Tiberius v. Geibel.
der Quartaner R. Jonas: Frau Hitt v. Ebert.
der Quintaner E. Cunze: „Wie Kaiser Karl schreiben lernte“ v. Gerock.
der Sextaner L. Meiners: Blauveilchen v. Förster.

Gesangaufführung: Chöre mit verbindenden Solosätzen aus „die Jahreszeiten“ v. J. Haydn.

De Ciceronis rhetoricorum libris

ex

rhetoribus latinis emendandis

fasciculus II.

scripsit Dr. Knackstedt.

Multo maturius quam ipse quondam speravi, particulam alteram eorum, quae exponere incepi de Ciceronis rhetoricorum libris, publici juris facere mihi licet. Nam cum collega quidam impediretur, quominus ea, quae in hoc programmate quod dicitur publicare ei erat in animo, ad finem perduceret, qui praeest gymnasio nostro permisit mihi, qua erga me est benevolentia, ut pergerem in eis explicandis, quae suppeditant rhetores latini ad Ciceronis de inventione libros in pristinam integritatem revocandos. Qua in re nullis ambagibus cum in dissertatione [1]) jam dictum sit de scriptore incerto (p. 9—54) et de Albino magistro (p. 54—71), transeo ad C. Julium Victorem. De hoc enim et de C. Mario Victorino disputandum esse extrema monui dissertatione.

---

[1]) De Ciceronis rhetoricorum libris ex rhetoribus latinis emendandis. Fasciculus primus, Gottingae 1873.

2. (
Secundar
3.]
Delagri
4. S
1871.
Von
5. I
6. I
7. I
8. S
9. V
10. (
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. (
14. (
Ferı
15. J
deutung

Die
gens 10-

III.

De C. Julio Victore.

(Halm. p. 371—448.)

Quae de C. Julio Victore ejusque fontibus conjectura possimus assequi, primus exposuit Angelus Majus [1]), qui haud multo postquam libros de re publica ex tenebris bibliothecae Vaticanae in lucem evocavit, indidem anno MDCCCXXIII in medium hanc protulit artem rhetoricam. Eadem fere probata sunt Orellio [2]) Osanno [3]) Bergkio [4]); novi quidquam sive de tempore, quo fuerit rhetor, sive de scriptoribus, ex quibus sua petierit [5]), num prolatum sit in Damieni libro [6]) ignoro, cum hunc ut legerem mihi non contigerit. Neque habeo quod addam de ratione, qua Julius Victor in transcribendis Ciceronis rhetoricis versetur, quippe quae eadem fere sit, quam in Quintiliano sequitur, ut quae de hac exposuit Meisterus [7]) huc possint transferri. Qua re statim transeo ad ea, quae illius rhetorica ad Ciceronis libros de inventione in integritatem restituendos suppeditare videtur. Nam ut ejus ope in Quintiliani libris multa emendarunt Bonnellus Meisterus Halmius [8]), item spero fore,

---

1) cf.: „Juris civilis et Symmachi orationum partes. C. Julii Victoris ars rhetorica. L. Caecilii Minutiani Apuleji fragmenta de orthographia", Romae 1823, p. LXIV—LXXI; repetita est haec editio in: „scriptorum veterum nova collectio" I, edit. altera, Romae 1831.
2) scholiastae Tulliani I, p. 195.
3) symbolae hist. lit. graec. et rom. II, p. 377.
4) Mus. rhen. IV, p. 129.
5) cf. quae de his et de incerta Maji Bergkiique conjectura monuit H. Sauppius in ephem. erud. gotting. 1864, p. 2035.
6) De Caji Julii Victoris arte rhetorica disputationem proposuit A. Damien, Paris 1852. cf. Philol. XVIII, p. 503.
7) Quaestiones Quintilianeae I (Liegnitz 1860), p. 20 seq.
8) cf. Meister: Quaest. Quintil. I, p. 21; Philol. XVIII, p. 502 seq.; Halm: „Ueber den Rhetor Julius Victor als Quelle der Verbesserung

ut eo adjuvante nonnulli Ciceronis rhetoricorum loci sanentur. Ad haec enim emendanda quid inde possimus repetere, nondum explorarunt homines docti, paucis exceptis locis, in quibus illius mentionem fecerunt Orellius in edit. altera et Linsmayerus in anal. Tull. II; cf. ibid. adn. 13, 84, 115, 130, 131. Priusquam tamen de singulis locis disputemus, pauca praefari de exemplari Tulliano, ex quo Julius Victor sua hauserit, non alienum est. Quod cuinam eorum, quae nobis tradita sunt, simillimum fuerit, definiri nequit, cum non solum quae scripsit Cicero multis locis libere transferat Victor, sed etiam ipsius verba gravissime sint corrupta et lacunis depravata. Qua re hoc dico: deteriorem fuisse illius codicem exemplo anonymi [1]) et Albini [2]), deteriorem plerumque optimis nostris PV; non quo desint lectiones, quae conspirent cum PV, sed quia in his modo hic modo ille deteriorum librorum accedit, cum ab eisdem codd. PV recedere soleat Victor, ubicunque soli aut verum servant, aut certe peculiare quiddam exhibent. Neque cod. Ottobonianus, quo continetur illius rhetorica [3]), cum PV communia habet vitia, quibus optime ut in Albini dialogo ostenderetur, quid illi tribuendum esset. Ut vero paulo accuratius cognoscatur, quae ratio inter Victorem et PV intercedat, primum subjicimus lectiones, in quibus cum illis consentit:

p. 420, 15: „arguamus" PV „arguimus" GART.
„ 408, 5: „non potest esse" PVGR „esse non potest" AT.
„ 408, 23: „ornatum muliebrem" PVEAT „ornamentum muliebre" GR.
„ 408, 27: „assensum est" P^1GE „assensum" V^1 „assensus" V^2 „assensum esset" P^2 „esset assensum" ART.
„ 408, 28: „videretur" PVT^1S^1 „videbatur" ART^2E.
„ 409, 9: „responsio est" PVGET „est responsio" AR.
„ 416, 10: „vivi" P^1VGAT „vivere" P^2EBR.
„ 416, 17: „aut si rem" PVEB „aut si qui rem" GART.

Discedit autem Victor a PV:

---

des Quintilianeischen Textes"; Sitzungsber. der Münch. Akad. 1863, I, p. 389 seq.
1) cf. dissert. p. 11 seq.
2) cf. dissert. p. 54 seq.
3) De cod. Ottoboniano-Vaticano cf. Du Rieu: schedae Vaticanae p. 142.

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung :

Die
gens 10–

p. 408, 22: „utrum illiusne" P^{2}RE „utrum illudne" P^{1}VG „utrumne illius" AT.
„ 408, 22: „illius" P^{2}ARTE „illud" P^{1}VG.
„ 410, 3: „distributa" P^{2}ARTEB „tributa" P^{1}VG.
„ 419, 30: „distributam" GART „distributarum" PV.
„ 420, 11: „eo tempore" ARTP^2 „tempore eo" VG „tempore" P^1, om. „eo".
„ 414, 22: „dicemus" ARTE „dicimus" PVGB.
„ 415, 36: „civis est" P^{2}EBART „civis" P^{1}VS.
„ 409, 9: „aut elicienda" ART „elicienda" PVGSE.
„ 409, 34: „necessitate" GBR „necessitudine" PVEAT.
„ 415, 7: „existimari" P^{2}RG^{2}B „existimare" P^{1}VG^{1}E.
„ 414, 28: „dissolves", inde Victor videtur legisse „reprehendetur" ART „reprehenditur" PVGEB.

Scripturae in quibus Julius Victor lectionem vulgatam tuetur, quam aut P aut VG relinquunt, hae sunt:

p. 409, 8: „utendum inductione" VGEART „utendum est inductione" P.
„ 410, 27: „in eorum fide" VGEBART „eorum in fide" P.
„ 416, 23: „delectationes sunt" VGEBATR „sunt delectationes" P.
„ 413, 31: „approbatione" VGEBAT „ab approbatione" PR.
„ 408, 30: „inducemus" PGEART „inducimus" VS.
„ „ „ „necesse concedi" PVEART „necesse concedere" VG.
„ 410, 28: „totiens" PTEB „toties" φAR (V deficit).
„ 413, 29: „eadem ratione partitiones" PARTEB „eadem partitione" VG.
„ 419, 35: „amplectimur. In qua partitione cavendum est, ne"; Cic.: „amplectimur. In qua partitione videndum est, ne" PART „amplectimur in partitione, ne" VG; cf. anal. Tull. II adn. 56.

Appono denique lectiones, quas conspirantes exhibet Ottobonianus cum codicibus minoris pretii:

p. 410, 4: „tractaverunt" ER „tractarunt" PVGSBT.
„ 413, 34: „adlevatur" m. pr. „adlevitur" m. sec. [1]) „allevatur" R „alleviatur" EGV^2 „elevatur" P^{1}AT „eleviatur" V^1 „ellevatur" B „levigatur" P^2.

[1]) cf. Du Rieu: schedae Vaticanae p. 153 et 161; emendationes, quas nova collatio codicis Ottoboniani suppeditavit, ex libro modo allato collegit Halmius in Jahnii annal. phil. vol. 91 p. 40.

p. 414, 20: „reprehenditur" AB „reprehendetur" PVGERT.
„ 414, 35: „id quod sequitur" BR „hoc, quod sequitur" P^{2}VGSEAT (P^1 „hic").
„ 416, 6: „de qua" B „qua de" PVGEART.
„ 416, 16: „vitiis" GEBS „vitio" PVART.
„ 416, 19: „quaeritur" B („queritur") „quaeretur" PVGEART.
„ 430, 2: „hoc facere" B „haec facere" PVGEART.
„ 414, 9: „complexio" Vo II. R „comprehensio" PVGSEBAT.
„ 414, 20: „corripitur", „correptus" Vo II. duo Oxonn. „correctus" PVGEBART.
„ 414, 27: „ergo ut surripueris", „ergo ut tu surripueris" Vo II., „ergo surripueris" PVGEBART.
„ 416, 5: „aut homine" Vo II. „aut eo homine" PGBR „aut ab homine" VSEAT.
„ 413, 26: „mater est satietatis" ATB „est satietatis mater" PφER (V deficit).
„ 414, 35: „simplex conclusio" T^1 „simplex autem conclusio" PVGEBART^2.
„ 419, 13: „et quid" AT „aut quid" PVGR.
„ 430, 13: „auditoris" AT „auditorum" PVGEBR.

Quamquam ex hac enumeratione apparet, librum, ex quo hauserit Victor, in optimorum numerum referendum non esse, tamen sunt pauci quidam loci, in quibus genuinam habet lectionem, sunt complures, in quibus vacuus fuit glossematis et interpolationibus. Sic, ut a glossematis incipiamus, maxime probandum est, p. 413, 33 hanc eum praebere reprehensionis definitionem: „reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut elevatur"; codd. omnes post „diluitur" inserunt „aut infirmatur", et in extremo vocabulo mirum quantum variant:

„aut elevatur" P^{1}AT.
„aut eleviatur" V^1.
„aut elebatur" Bamberg. Cassiodori p. 498, 5.
„ac ellevatur" B.
„aut allevatur" R et Frising. Victorini p. 247, 44.
„aut adlevatur" Darmstad. Victorini et m. pr. Ottoboniani.
„aut alleviatur" V^{2}G Pal. Gruteri, codd. Oud.
„aut adlevitur" man. sec. Ottoboniani.
„et alleviatur" E.
„aut levigatur" P^2.

Ipsum verbum quod est „elevatur", cum non intelligere-

2. C
Secundar
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. E
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. C
14. C
Ferr
15. J
deutung

Die
gens 10–

tur, — nam id quidem lectiones produnt magnopere inter se dissidentes, — excitavit glossema „aut infirmatur". Victoris enim scripturam: „confirmatio diluitur aut elevatur" veram esse, testantur Victorinus p. 247, 44 et Cassiodorus [1]) p. 498, 4. His tribus testibus, quorum nullus ex alio pendet, confisi, etiam ex Ciceronis verborum contextu ejicienda putamus vv. „aut infirmatur", cum quam maxime sit verisimile, eodem modo in illius explicationem irrepsisse, quo in recentioribus Victorini codd. Bambergensi et Basileensi addi videmus. Accedit aliud. In verbis, de quibus agitur, membrum bipartitum requiritur, non tripartitum. Duae sunt res, quas confutatione assequi studemus, aut adversariorum argumentationem vitiosam esse demonstramus (Cic. I, 79—95), aut in contrariam partem afferimus, quod aeque firmum aut firmius sit (I, 96); quorum prius in Ciceronis verbis est „diluitur", posterius „elevatur". Sic bipartito distribuunt omnes rhetores, et Victorinus aperte ac dilucide hanc divisionem repetit p. 248, 4: „haec (reprehensio) duo agit: aut omnino tollit quod adversarius dixit, aut infirmat ac levius reddit". Idem Ernesti sensisse videtur, cum verba „aut elevatur" secluderet; Schuetzius autem, cum deleret „aut infirmatur", conjectura verum assecutus est, itemque his temporibus judicavit M. Seyffertus schol. Lat. I, p. 149 [2]). Adde denique quod Cicero ipse hac simplici divisione eadem § 78 utitur: „exponemus modos reprehensionis, quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt." Sin vero de origine illius glossematis quaerimus, fortasse ex his ipsis vocabulis ortum est, quamquam, cum sollemne sit verbum infirmandi in refutationis praeceptis, etiam ex eis quae sequuntur sumi potuit, velut

---

1) Cassiodorum cum multa alia ex Ciceronis rhetoricis petiisse constat, tum definitiones orationis partium; conferas § 9 cum explicationibus Tullianis: I, 20 (exordium) 27 (narratio) 31 (partitio) 34 (confirmatio) 78 (reprehensio) 98 (conclusio).

2) Libere tamen profiteor, non satis me intelligere cur adjiciat: „(infirmare ist wohl für ein Glossem von elevare zu halten,) umsomehr, da im Verlauf nur 2 Hauptarten der reprehensio an Beispielen erläutert werden"; nam non duo reprehensionis modi, sed tres exemplis illustrantur, cum quartus brevissime § 96 tractetur; cf. § 79: „Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex eis, quae sumpta sunt, non conceditur unum plurave (§§ 79—86), aut his concessis complexio ex eis confici negatur (§ 87—89), aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur (§ 89—95), aut si contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur (§ 96)."

ex § 80, 81, 82, 83, 85, 86, 87. Reliquum est, ut verbo commemoremus aliam viam, quam quis ad duo restituenda membra potest ingredi. Nam secundum explicationem Victorini p. 248, 4: „infirmat ac levius reddit" conjicere haud alienum videtur, pro „aut elevatur" scribendum esse „atque elevatur", ut vv. „infirmatur atque elevatur" unam efficiant notionem. Cum autem Julius Victor Victorinus Cassiodorus consentiant in scriptura „diluitur aut elevatur", permaneamus oportet in sententia, quam supra exposuimus. — Similiter I, 52 Victore duce additamentum posterioris aetatis delendum est. Disputat Cicero c. XXXI de inductione, et exemplo allato § 52 fin. pergit: „hic cum rebus non dubiis assensum est, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videretur, si quis separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur". Omittit Jul. Victor p. 408, 28 vv. „id pro certo", quae ex glossemate orta esse perspicitur ex optimis codd. PVG, in quibus legitur: „et id pro certo"; quod qui ascripsit, cum „et" per „etiam" interpretaretur, oppositionem videtur efficere voluisse ad vv. „illud, quod dubium videretur". Jam illud mirari desinamus, in deterioribus libris constructioni accommodatum esse glossema abjecta particula „et" [1]), quamquam non modo haec in L. II haesit, sed etiam perturbationis vestigia videre possis in scripturis: „id profecto" R edit. Omnib., „idcirco" L. III. Necessaria autem esse vv. „id pro certo" vix quisquam demonstrabit, cum id, quod extrema inductione concedatur, non ut dubium concedi, sed ut certum et simile superioribus inductionis exemplis apertum sit. Neque enim simile quidquam Cicero dixit inductionem § 51 sic interpretatus: „inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones ejus, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur". Nec denique Albinus, qui Ciceronis praecepta in suam artem transfert, illa videtur legisse, quippe qui p. 540, 27 habeat: „Quod si quis separatim quaereret, forte non concederetur". Itaque cum in libris optimae notae glossematis indicium teneamus, verba, quae plane non necessaria sint, cum Julio Victore delenda cen-

---

1) Respondet locus ex altera parte eis, in quibus glossema inde convincitur, quod in optimis libris deest particula copulativa. cf. dissert p. 49.

2. G
Secundan
3. F
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. W
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung 1

Die
gens 10–

semus; quod eo majore jure proponere nobis videmur, quo magis hoc quidem loco illius codicem liberum fuisse videmus a depravationibus deteriorum codd., qui habent: „esset assensum" („assensum est" P^{1}GE Victor 408, 27) et „videbatur" („videretur" $PVT^{1}S^{1}$ Victor 408, 28).

I, 92 legi solet: „turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicit, aut eo tempore, quo dicitur, aut eis, qui audiunt, aut ea re, qua de agitur, indignum propter inhonestam rem videtur". In quibus Julius Victor p. 416, 6 non habet „propter inhonestam rem", ut scriptum est in VGEART codd. Oud., in P exstat „propter inhonestatem", in B: „propter inhonestam esse". In scriptura plurimorum codicum primus offendit Schuetzius breviter adnotans: „non commode dicitur 'aut ea re - - - indignum propter inhonestam rem'." Ac sunt profecto, quod videam, tam inepte adjecta, ut nihil supra possit. Quid quod Orellius, quamvis multa in his libris tacitus praeterierit, in vocabulis illis haesit? Qui quidem suspicatus fortasse scribendum esse „propter inhonestam rationem", in verborum contextu retinet lectionem vulgatam, cum recipi nolit „propter inhonestatem"; quam Schuetzii conjecturam, postquam firmavit cod. Paris., Kayserus recepit. At vocem quae est „inhonestas" non vocabulum Tullianum esse clamat Orellius, sed Tertullianum; ex cujus libris afferunt lexicographi adv. Marc. V, 5 et adv. Jud. 14. Certum est, non satis caute nos facere, si loco praesertim suspecto ex uno libro ms. recipimus vocabulum quoddam, quo non modo scriptor, in quo versamur, sed ne aequales quidem usi sunt. Qua re non minus lectionem Parisini rejiciendam esse arbitror, quam quod vulgatur „propter inhonestam rem". Quod vero Orellius scribi vult „propter inhonestam rationem", quam conjecturam Lindemannus probasse dicitur, ferri illud quodammodo potest, tamen inepta illa verba, quae quo referamus non habemus, non corrigere, quod etiam in B factum videtur, sed secundum Jul. Victorem delere malo, ascripta illa ad „indignum", quo facilius intelligeretur, qua in re indignitas illa posita esset. — — I, 76 Kayserum partem quandam glossematis in oratione contexta reliquisse, partem suo jure ejecisse arbitror. Expellenda enim esse in vv.: „tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti" vocabula quae sunt „tum utraque" homo

ille doctissimus demonstravit in Jahnii annal. phil. 79 p. 495 [1]). Quae sententia comprobatur testimonio Victoris p. 413, 31 [2]); idem vero post „approbatione" non habet „alterutra". Hoc falso in Ciceronis codd. additum esse non dixerim, verum deletis verbis „tum utraque" supervacaneum esse patet, cum quivis sciat duas tantum esse approbationes. Ac vereor, ne „alterutra" a rhetore quodam sit adjectum, qui necesse putabat monere, ab utraque approbatione incipi licere, prout aut propositionem aut assumptionem primam ratiocinationis partem esse volumus. Quod si concedimus alterum illud „tum utraque" ferri non posse, una cum hoc additamento prius illud „alterutra" missum faciamus oportet, cum sit probabile, ab uno eodemque addita esse ad „approbatione" vv. „alterutra tum utraque". Inveniuntur haec quidem in omnibus codd. Cic. [3]), sed certum est ex monstruoso enunciato quod sequitur, interpolationem hoc loco grassatam esse, ut suspicari liceat, etiam verba quae antecedunt „alterutra tum utraque" cum partim sint supervacanea („alterutra"), partim ferri non possint („tum utraque"), recte ut a Cicerone non profecta Julium Victorem omisisse. Non alienum est addere, in eis, quae proxime sequuntur, non modo codices mirum in modum variare, sed in nonnullos etiam complura verba ex Victorini commentariis translata esse. Qui cum nihil adjuvet ad solvendam quaestionem, de qua modo diximus, haec secundum cod. Bamberg. et Basil. praebet p. 247, 38: „aut inscribamus ipsi et nos exerceamus, aut, si id piget facere"; quae omnia in marginem codicis S transcripta sunt, ac partim saltem in marginem cod. G: „aut inscribamus aut si id piget facere"; deinde etiam „videamus", quod in G exstat pro „scribamus", et in S eidem vocabulo superscriptum est, desumptum puto ex Victorino p. 247, 39 [4]).

---

[1]) „Mag man tum utraque mit uti oder mit incipere verbinden, so ist diese Bestimmung ungehörig, weil man weder mit zwei approbationes zugleich anfangen kann, noch die Anwendung beider approbationes von der gewöhnlichsten Form des Syllogismus abweicht; ohnehin ist genug in dieser Beziehung mit der Vorschrift: nec semper quinque partibus abuti gesagt."

[2]) Paulo ante v. 28 praebet: „nec semper ratiocinationem a propositione incipiamus"; legit igitur apud Cic. I, 76: „deinde in ipsa ratiocinatione", ut edidit Schuetzius, qui conferri voluit Victorinum p. 247, 35: „deinde in ratiocinationibus".

[3]) in VG alio exstant loco, cf. ad p. 136, 36.

[4]) Praeterea ex Victorini commentariis petita videntur: II, 49 „au-

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. C
Ferı
15. J
deutung

Die
gens 10–

Dubitanter deinde Julium Victorem sequor in eis, quae p. 429, 16 seq. ex Tullianis hausit praeceptis de conclusione. Ipsius verba apponam in uncis additis eis, quae in Ciceronis libris mss. I, 98 adjecta sunt (p. 429, 19): „Haec (enumeratio) si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intellegetur; sin varie [fiet], et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit: et ideo [1]) tum oportebit [ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem,] singillatim unam quamque rem attingere et ita omnes transire breviter argumentationes: tum [autem, id quod difficilius est,] dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus pollicitus sis te dicturum [2]), et reducere in memoriam, quibus rationibus unam quamque partem confirmaris; tum“ seq. Primum igitur deest apud Jul. Victorem „fiet“ post „varie“; atque cum ex eis, quae antecedunt, facillime repetamus „tractabitur“, vereor, ne recte Omnibonus (edit. 1476) abjecerit „fiet“, quod probarunt Ernestius et Schuetzius, quorum hic in utraque editione verbum delevit. Horum igitur hominum doctorum sententiam confirmat Julius Victor [3]), quem sequi praefero, cum cetera hoc loco satis accurate transcribat. Quae praeterea in Ciceronis codd. adjecta sunt: „ita facere, ut plerique fa-

ditoribus“ post „certioribus illis“, cf. ed. Orell.², Victorin. p. 271, 15, Philol. VI, 713.

II, 152: post „considerare“: „periclitari omnia jura, si similitudines accipiantur; nihil esse paene, quod non alteri simile esse videatur“, cf. edit. Orell.², Victorin. p. 300, 1.

II, 172: „necessitudinis“ sive „necessitatis“ post „multas res“, cf. Victorin. p. 304, 20: „pariter autem ex his multas esse res] id est necessitudines.“

[1]) Cic. I, 98 „qua re“.

[2]) Cic.: „te pollicitus sis dicturum.“ In verbis enim collocandis Jul. Victor non minus libere versatur, quam Albinus (cf. dissert. p. 64), velut infra habet:

v. 27: „praeterea nihil putabit esse“, Cic.: „putabit nihil esse praeterea.“
v. 35: „et ei enumerationem“, Cic.: „et enumerationem ei“.
408, 32: „id ipsum dubium esse“, Cic. I, 32, 53: „dubium esse id ipsum“.
„ 34: „ante induxerimus, quasi non dubias“, Cic. I, 53: „quasi non dubias ante induxerimus“.
409, 9: „argumentatio est“, Cic. I, 54: „est argumentatio“.
413, 35: „potest confirmari“, Cic. I, 78 „confirmari potest“.
414, 16: „putat hoc“, Cic. I, 83: „hoc putat“.
414, 18: „ingenium animi“, Cic. I, 83: „animi ingenium“.

[3]) ut paulo post (v. 32) ejusdem testimonio comprobatur Lambini suspicio, scribendum esse: „aliis quoque actionis modis“.

ciunt propter facilitatem“ et „autem id quod difficilius est“ ab uno eodemque rhetore profecta esse puto. Nec vero perspicuum est, cur nam difficilius sit, enumerare, quibus argumentis confirmaverimus ea, quae in partitione proposuerimus, quam singillatim transire omnes argumentationes; mihi quidem harum enumerationum difficultas eadem fere videtur. Ac vv.: „ita *fa*cere, ut plerique *fa*ciunt propter *fa*cilitatem“ jam Schuetzio, Julii Victoris ignaro, spuria visa sunt, sive haesit in sententia et in repetito verbo faciendi, sive sensit enunciato illo non mediocriter interrumpi orationis flumen: „*tum* oportebit singillatim - - attingere - - *tum* dicere - - *tum* - - quaerere“. Victorinus utrum illa legerit, necne, in medio relinquo, cum certi quidquam non efficiam ex verbis „quod quidem factu facile est“, quae explicandi causa de suo supplere potuit p. 256, 11: „variatur autem modis tribus, si aut eas res, quas ante dixisti, breviter perstringas et colligas, quod quidem factu facile est, aut si etc.“ Codices vero Cic. quae in Victoris exemplari defuisse videntur omnes exhibent, nisi quod in Bamberg. scriptum est: „faciunt facilitatem propter“ („faciunt“ punctatum). Alia eorum est ratio in altero additamento: „autem, id quod difficilius est“; in quo archetypum vetustissimorum codicum PVGS non habuisse arbitror particulam adversativam quae est „autem“. Hanc enim omittit G in rasura et edit. Omnib., P¹VS habent: „tum ad id quod difficilius est“, in qua scriptura frustra operam dederis explicandae praepositioni „ad“, quam is, qui inseruit, fortasse interpretatus est per: 'quod attinet ad'. In omnibus autem codd. inferioris notae inveniri particulam adversativam facile intelligimus, cum in memoriam nobis revocamus similia exempla, quae collegit H. Sauppius conj. Tull. p. 10 et locos, quos ipsi tractavimus. [1]) Victorinus nullam facit mentionem verborum „id quod difficilius est“, et cum praeter codicum vestigia perspicuum non sit, cur minoribus difficultatibus enumeratio implicata sit, quae singillatim omnes argumentationes attingit, quam quae repetit quibus rationibus partitionis partes comprobatae sint, non modo quae Schuetzius pro spuriis habuit, sed etiam posteriora illa: „id quod difficilius est“ a Cicerone abjudicanda sunt.

Jam vero praetermittere nolumus duos locos, in qui-

[1]) cf. supra p. 7 et dissert. p. 49.

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung i

Die
gens 10—

bus exputare non potuimus, quid scripserit Cicero; confisi tamen eos, qui artis criticae magis sint periti, inventuros esse quid restituendum sit, breviter illos attingemus. Ac primum quidem disputandum est de verbis, quae I c. 46 in. leguntur: „altero autem modo reprehendetur (enumeratio), si aut contra aliquid dicetur, hoc est, si exempli causa, ut in eodem versemur, poterit ostendi hereditate venisse, aut si illud extremum non erit turpe concedere, ut si qui, cum dixerint adversarii 'aut insidias facere voluisti aut amico morem gessisti aut cupiditate elatus es', amico se morem gessisse fateatur." Quamquam haec omnia videntur sanissima esse, tamen non dubito, quin vitium lateat in vv.: „ut si qui, cum dixerint adversarii"; sic haec exstant in P^2ART codd. Oud. GBVE (V: „adversari", E^1 „dixerint" ut videtur, „dixerit" E in rasura). Sed prima manus codicis P, quae saepius vestigia retinuit genuinae aut certe antiquioris lectionis, exhibet: „ut si cum dixerit adversario"; caret igitur pronomine „qui", habet „dixerit", quod est in rasura codicis E, praebet „adverserio", quod etiam in archetypo codicis V („adversari") scriptum fuisse suspicor, cum P et V ex eodem fonte defluxisse pro certo habeam. Denique facienda est mentio Julii Victoris p. 414, 33: „ut si qui dixerit" et Victorini p. 253, 38: „ut si adversarius dicat". Ex eis quae attuli constat, nisi fallor, restituendum esse numerum singularem „dixerit", in quo consentiunt P^1, E in rasura, Victor, Victorinus. Quod si maximam habet veritatis speciem, „adversarii", quod vulgatur, ferri non potest, nec magis „adversario", ut est in P^1, habet quo referatur; itaque scribendum videtur: „adversarius", nisi vocabulum, quod valde suspicor, prorsus abjiciendum est. Quomodo autem nixus prima manu codicis P („ut si cum dixerit adversario") et lectione Julii Victoris („ut si qui dixerit") [1] longius in emendatione progrediar, nescio. Obscurum enim et nimis durum est id, quod scribere mihi fuit in animo: „ut si qui dixerit: 'aut insidias - - - elatus es', amico se morem gessisse fateatur", cum aliud sit subjectum in verbis „dixerit" et „fateatur" [2]); contra nimis

[1]) Mutat tamen apodosin v. 34 „et nos contra dicamus"; similiter Victorinus p. 253, 40: „nos dicamus 'amico nos morem gessisse'."

[2]) Ad removendam hanc difficultatem insererem „iste" post „gessisse", nisi hoc ab eo dicendi genere, quod est in his libris, abhorreret.

audacter proponere nolo: „ut si qui dixerit: 'aut insidias - - - elatus es', amico te morem gessisse fatearis." Satis igitur habeo ostendisse, vulnus quoddam latere, cui medicinam adhibeant, qui in arte critica magis sunt versati. — Atque idem haud scio an dicendum sit de altero loco I, 90: „vulgare est, quod ad aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, ut hoc: 'si causam veram non haberet, vobis se, judices, non commisisset'." Cum his comparanda sunt, quae inveniuntur apud Julium Victorem p. 415, 29: „aut ut [1]) vulgare, quod in aliam quoque rem transferri possit, ut: 'si causam veram non haberem, vobis me judices non commisissem'." Hinc verba Tulliana ita videntur corrigenda esse: „vulgare est, quod ad [2]) aliam quoque rem [non probabilem, si non [3]) concessum sit,] transferri possit, ut [hoc]: 'si causam veram non haberet, vobis se, judices, non commisisset'." Verba, quae post „rem" inclusi, vereor, ne aliena sint ab hoc loco; certe similem sententiam in definitione vulgaris exordii neque habet Cic. I, 26: „vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur", neque auct. ad Herennium I, 11: „vitiosum exordium est, quod in plures causas potest accommodari, quod vulgare dicitur", neque Quintilianus IV, 1, 71: „quod (exordium) in plures causas accommodari potest, vulgare dicitur." Nec minus obscurum est, quid referat, utrum causa, ad quam vulgaris defensio transfertur, sit probabilis necne; efferendum potius id solum est, etiam alii expositioni accommodari posse argumentum vulgare; quod satis fit verbis: „vulgare est, quod ad aliam quoque rem transferri possit". Quae praeterea in libris Tullianis post „rem" inveniuntur non Ciceronis videntur esse, sed rhetorum; quamquam de origine eorum, ut verum profitear, mihi non constare videtur. Quod vero in editionibus circumfertur: „si nunc concessum sit" (sc. vulgari argumentationis genere uti?), neque aptam admittit explicationem, neque codicum nititur auctoritate; nam ut mihi quidem videtur ex conjectura in E^2B^2RLII scriptum est „si nunc", cum meliores omnes consentiant in „si non".

[1]) cum cod. p. 415, 27 habeat „aut ut commune" (cf. Du Rieu l. a. p. 153), mutanda non sunt membra quae sequuntur: „aut ut vulgare (v. 29) - - aut ut leve" (v. 31) — aut ut remotum" (v 32).

[2]) „ad" GS „in" P^2ARTEB codd. Oud. praeter S, om. P^1V.

[3]) „non" PVGATE^1B^1 codd. Oud. praeter L II, „nunc" RE^2B^2L II.

2. G
Secundar
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. L
stellt.
12. S
13. C
14. C
Fer
15. J
deutung

Die
gens 10–

— Num deinde recte inducat Victor p. 415, 30 exemplum particula „ut“ [1]) potest dubitari. Verum ex consuetudine, quam in exemplis afferendis observare solet Cic., praefero Victoris lectionem, quam in melioribus libris depravari videmus addito pronomine „hoc“, in deterioribus expelli illata pervulgata formula „hoc modo“, qua multo saepius exempla inferuntur.

Sed satis de locis, in quibus Victoris exemplar non inquinatum fuit glossematis; sequitur ut unum saltem locum tractemus, in quo ad lacunam explendam illius rhetorica uti licet. Qui quidem invenitur I, 53 fin. „deinde ne intelligatur, quo spectent illae primae inductiones et ad quem sint exitum perventurae.“ Agitur de initio „deinde ne intelligatur“, in quo codd. magnopere dissident:

„non intelligat, quo“ P^1VG^2R
„ intelligant, quo“ G^1LIII
„ intelligi, quo“ AT
„ne intelligat, quo“ LII
„non intelligant, quo“ S^1 suprascr. „is quicum agimus.“
„non intelligat is quicum agimus, quo“ LI
„non intelligis quicum agimus“ P^2.

Ex his lectionibus prima, quae vetustissimis codd. firmatur, tum in aliis exstat editionibus, tum in utraque Orelliana. Verum ferri non potest, quia verbum quod est „intelligat“ nullum habet quo referatur subjectum, cum adversarii antea mentio facta non sit. Quod bene intellexit qui in S^1 et LI scripsit: „is quicum agimus“, quod jam ipsum in P^2 corruptum est in „intelligis (intelligat is) quicum agimus“. Hoc additamentum, quod explicandi causa ascriptum est, Schuetzius prave in verborum contextum recepit. Alii aliter loco mederi studuerunt: Lambinus proposuit „non intellegatur“; Kayserus Philol. VI p. 715: „ne intellegatur“; Linsmayerus probat „intellegatur“, sed retinendum putat „non“ [2]); Klotzius denique, ut „intelligat“ intactum relinquat, et tamen habeat subjectum, scribit

[1]) codd. Cic.: „ut hoc“ $PVGAT^2LIII$ „hoc modo“ T^1REB codd. Oud. praeter LIII.
[2]) l. c. adn. 78: Fortasse „deinde non intellegatur“. Sententia est: videndum est, ut lateat (ideo recte se habet „non intellegatur“, neque requiritur „ne intellegatur“), quo spectent illae primae inductiones.

„deinde nemo intelligat“ [1]). Equidem Oudendorpium verum vidisse puto, qui dicit: „Non alienus sum ab opinione cujusdam hic omissionis.“ Ad hanc enim sententiam ducit scriptura, quam invenimus apud Julium Victorem p. 408, 36. Is enim p. 408, 29 — 409, 15 verborum collocatione omissa (cf. supra p. 10) accuratissime transcribens praecepta de inductione, versu, quem modo attuli, haec habet: „demus oportet non intelligi, quo“. Quae ipsa corrupta esse haud ignoro; felicissime tamen Halmium ante „oportet“ inseruisse puto „operam“, quod facillime intercidere potuisse nemo non videt. Quod si jam vv.: „demus operam oportet“ apud Ciceronem post „deinde“, quod Victor omittit, inserimus, haec existit illius sententiae conformatio: „Deinde demus operam oportet, non intelligi, quo spectent illae primae inductiones et ad quem sint exitum perventurae“. Ita vero Ciceronem scripsisse duabus rebus comprobari arbitror. Primum similem adhortationem, qualis est in vv. „demus operam oportet“, in suo exemplari videtur invenisse Victorinus p. 241, 25: „tertio, inquit, id agere debemus, ut nemo intellegat“ et Albinus p. 540, 33: „videndum est diligenti cura, ut non intelligat adversarius“; quamquam concedendum est, potuisse haec de suo illos supplere ex similitudine eorum, quae c. XXXII antecedunt: „praecipiendum nobis videtur primum - - deinde videndum est - -“. Magis sententiam meam confirmari puto duobus libris Tullianis A et T, in quibus legitur: „deinde non intelligi“. Unde, quaeso, infinitivus nascitur, qui nullo modo verborum continuationi accommodatus est? Minime dubito, quin in solo cod. A et T servata sit lectio, quae, postquam periit supplementum, quod suppeditat Julius Victor, exstitit: „deinde *demus operam oportet* non intelligi“. In his si omittis voces, quas diversa litterarum forma distinxi, habes lectionem codicis A et T; in ceteris omnibus vv.: „deinde - - - non intelligi“, quae sola reliqua erant, postquam lacuna nata est, ex libidine correcta sunt, ut nunc demum probabili ratione explicetur, unde multitudo illa variarum lectionum exorta sit.

Nec vero solum in delendis addendisque verbis Victoris rhetorica nos adjuvat, sed etiam in singulis emendandis. Velut cum eisdem codd. AT rectissime illa exhibet p. 419,

[1]) Victorinus p. 241, 25: „id agere debemus, ut nemo intellegat“.

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung
Die
gens 10–

13 „quae partitio quid conveniat *et* quid non conveniat ostendit etc.“ Ita enim I, 31 pro „quid conveniat *aut* quid non conveniat“ reponendum est, cum non alterutrum „aut quid conveniat aut quid non conveniat“ in priore partitionis parte exponatur, sed utrumque: „et quid conveniat et quid in controversia sit.“ Quod demonstrant exempla apud auct. ad Her. I, 17; nec dissentit Cicero I, 31 in. „una pars est, quae quid cum adversariis conveniat et quid in controversia relinquatur, ostendit“; quae cum postea aperte repetantur, non dubito, quin rescribendum sit „*et* quid non conveniat“, quod praeter codd. AT et Jul. Victorem Victorini Darmstad. et Frising. habent p. 210, 16. Ceterum conjiciet quispiam natum esse „aut“ propter „at“, quod praecedit in verbo quod est „conveniat“. — Eadem § 31 aliud vitium, nisi fallor, latet in vv. „item contra: 'interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem convenit'.“ Quae primo aspectu sanissima videntur; videamus tamen, quidnam illis verbis sibi velit Cicero. Ita praecipit: „Quae partitio quid conveniat et quid non conveniat ostendit, haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum“; cui praecepto adjicit exemplum: „interfectam matrem esse a filio convenit mihi cum adversariis.“ Sic loquitur accusator Orestis, qui, ut 'illud quod conveniat ad suae causae commodum inclinet', non in universum partitur: 'constat Clytaemnestram ab Oreste occisam esse', sed atrocitatem caedis aucturus matrem a filio interfectam esse dicit, id quod recte animadvertit Victorinus p. 210, 18: „Et dat exemplum, si dicat accusator: matrem occisam ab Oreste filio constat. Jam cum ait 'matrem a filio constat occisam', id, quod adversarius confitetur, ad se inclinat; consideratione enim sanguinis non videtur debuisse a filio mater occidi“. Jam pergit Cicero: „item contra“ i. e. si quis ab Orestis partibus verba facturus hoc modo quod convenit infert: „'interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem convenit'.“ Quomodo tandem hic suae causae commodo consulit? Accusator recte dixit matrem a filio occisam esse, defensoremne mera nomina afferre? Nam quod Victorinus p. 210, 21 interpretatur: „Deinde si dicat Orestes vel ejus defensor: 'constat a Clytaemnestra Agamemnonem occisum', confessionem adversarii sine dubio ad se inclinat; consideratione enim juris occidi maritus ab uxore non debuit“, haec ipsa consideratio quam vocat juris

non minus dilucide exprimenda erat, quam superior 'consideratio sanguinis' expressa est. Qua de causa conjecerit aliquis secundum Victorini paraphrasin rescribendum esse: „interfectum esse ab uxore maritum“; verius tamen est quod praebet Victor p. 419, 16: „item contra 'interfectum esse ab uxore Agamemnonem convenit'.“ Hac ratione consideratio juris, de qua loquitur Victorinus, expressa est; quo fit, ut qui illa profert suae causae commodo consulat, quod eum fecisse Cicero proximis verbis dicit. [1]) De origine corruptelae addo, inde eam mihi ortam videri, quod quis vocabulo „uxore“ superscripsit: „Clytaemnestra“ („Clytaemestra“ PV „Clytemestra“ T), quod nomen proprium postea veram lectionem expulit. — Quum semel in partitione versemur, praeceptum quoddam emendemus enumerationis, quod arte cum illa cohaeret. Varia enim enumerationis genera, de quibus disputat Cic. I, 98, breviter repetit § 99 s. f. „atque hic, item ut in nostra persona, licebit alias singillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre etc.“ Ad postrema verba „singula genera“ ex eis quae antecedunt, ut nunc est lectio, supplendum est 'argumentationum'. Verum non agitur de singulis argumentationis generibus, sed de partitionis singulis partibus, id quod ex eis, quibus praeceptum: „alias ad partitiones singula genera referre“ respondet, efficitur; cf. § 98: „tum dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris.“ Quam ob rem haud displicet sequi Victorem p. 430, 1: „alias ad partitionis singula genera referre.“ Nullo negotio ex prioribus („licebit alias singillatim transire omnes argumentationes“) ad „referre“ mente suppletur 'argumentationes'. De generibus autem earum rerum, quae in causam incidunt, conferenda sunt quae in partitionis praeceptis exponit Cic. I, 32. Neque abhorrere videtur ab eo, quod habet Victor, paraphrasis Victorini p. 256, 29: „nunc partitionis promissio suis rationibus exequenda sit.“ — Agmen denique claudat res quaedam minuta, in qua facere non possum, quin rhetori illi assentiar. Legitur I, 96 in libris mss.: „hoc genus (reprehensionis) in deliberationibus maxime versabi-

[1]) „Hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae commodo consuluit.“

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. W
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung
Die
gens 10—

tur, cum aliquid, quod contra dicatur [1]), aequum esse concedimus, sed id, quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus; aut cum id, quod illi defendant, utile esse fateamur, quod nos dicamus, honestum esse demonstremus." Hanc codicum scripturam cum Orellio Klotzioque retineo, praeterquam quod ex Victore p. 416, 26 recipi volo modum conjunctivum: „defendamus", cum enunciatum relativum „quod nos defendamus" ex aequo sit positum cum eo quod antecedit: „quod contra dicatur", et idem conjunctivus inveniatur in enunciatis relativis quae sequuntur: „quod illi defendant" — „quod nos dicamus". Quamquam haud scio an sint, qui dicant, posteriores modos accommodatos esse ad conjunctivos „fateamur" et „demonstremus". Quod si quis ita rem se habere contendit, non vehementer repugno; teneo tamen, eandem esse rationem enunciatorum „quod contra dicatur" et „quod nos defendamus", ut modorum quandam inconstantiam auctore Julio Victore haud temere removere videamur.

Et haec quidem ad orationem Tullianam in integritatem restituendam repetere posse mihi videor ex Julii Victoris rhetorica. Vicissim hanc ex Cicerone emendari posse manifestum est; sicuti Meisterus et Halmius fontibus, ex quibus rhetor hausit, accurate inspectis multos locos corruptos et invenerunt et sanarunt. Addimus igitur nunc pauca de eis, quos ex libris de inventione desumptos esse Halmius non animadvertisse putandus est, cum neque in adnotatione neque in indice eos afferat:

p. 407, 23—24 cf. Cic. I, 50 in.; hinc confirmatur conjectura Maji, scribendum esse: „certas in partes", cod.: „ceteras in partes".

p. 407, 25—26 cf. ibid. I, 75 in.

p. 407, 27—28 = ibid. I, 44 in. Dissentiunt inter se Majus Orellius Halmius quid Victor scripserit. Nisi lacunosus est locus, ut mihi quidem videtur, sic potest constitui: „Etenim argumentum (argumentatio?) est inventum aliquo ex genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie"; „etenim", quod habet Cic., aptissime cohaeret cum eis, quae antecedunt; „ostendens" legitur in cod.; de corruptela vero „argumentum sit" pro „argumentum est" cf. Madv. ad Cic. de fin. p. 444, nisi potius modus conjunctivus h. l. una cum lectione „cum igitur" natus est.

[1]) Sic omnes codd., etiam AT, quos „dicitur" exhibere non recte adnotat Kayserus.

p. 407, 30 — 408, 12 = Cic. I, 44 seq. Hinc apud Julium Victorem emendandum est p. 407, 34: „utrum concesseris", tum ex Cic. I, 45, tum ex Albino p. 539, 18. Hunc enim ex Victore hausisse ostendit collocatio verborum „concubuit cum viro" p. 539, 16 (Cic. „cum viro concubuit"), et scriptura „cur tueris" p. 539, 19 [1]) („cur uteris" Cic.). Atque cum Victor ipse p. 414, 9 habeat: „complexio, quae utrum concesseris debet tollere", sine ulla dubitatione p. 407, 35 corrigendum est „concesseris". — Optima autem vulgatae emendatio Ciceroni debetur in definitione enumerationis I, 45: „enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis una reliqua necessario confirmatur"; inde p. 408, 2 rescribendum est „una reliqua" pro „una res aliqua", id quod sententia flagitat, in qua contraria sunt: „ceteris (rebus) infirmatis" et „una reliqua confirmatur". Nec tamen corrigendum puto quod legitur p. 407, 32: „in necessaria ratione versatur", quamquam Cic. dicit: „in necessaria demonstratione versatur". Nam quae Victoris est inconstantia, ipse h. l. mutavit, fortasse secutus vv.: „ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat" (§ 45 fin.).

p. 415, 1 — 7 = Cic. I, 82. Verba, quibus Cic. extrema disputatione de comparabili utitur („argumentatio, quae per inductionem tractatur" § 82), in initio posuit Victor p. 415, 1. Hoc si non sine veritatis specie sumimus, apud illum v. 1 restituendum videtur: „tractatur" pro „appellatur"; nam dicitur aut: 'ea argumentatio, quae per inductionem tractatur', aut: 'ea argumentatio, quae inductio appellatur'; vix tamen utraque dicendi ratione conjuncta dici licet: 'argumentatio, quae per inductionem appellatur'.

p. 415, 3: haud scio an post „confertur" exciderit „ei, quicum confertur", quod ὁμοιοτελεύτῳ facillime intercidere potuit, sicut librariorum negligentia saepius in cod. Ottoboniano quaedam perierunt. Saltem orationis perspicuitas augetur additamento „ei quicum confertur".

p. 415, 7 recte cognovit Christ addendum esse „eo cum"; nec tamen haec verba inter „de" et „quo" inserenda

[1]) Est lectio memorabilis, quam propter oppositionem: „improbus — probus, accusare — tueri" vulgatae praefero.

2. G
Secundan
3. P
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. W
10. C
dargestell
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. O
Fern
15. J
deutung f

Die
gens 10—

sunt, sed ita collocanda, ut habet Cic.: „et de eo, quocum („quicum“ Cic.) comparabitur“; quod ipsa externa ut ajunt probabilitate commendatur. Iterum enim intercidit „cum“ ante „com“ („comparabitur“).

p. 414, 12 includendum esse „conversione“ monuit Linsmayerus l. a. adn. 115. Idem cadit in verba:

p. 414, 10 „id est: 'si peperit, concubuit cum viro'.“ Desunt haec in libris Tullianis, recteque desunt; nam exemplum, quod eis continetur, non convenit cum complexione, de qua disputatur; haec duas proponit res, quarum alteram concedi oportet, ut patet ex Cic. I, 45, 83 auct. ad Her. II, 38. Exemplum autem: „si peperit, concubuit cum viro“ ex simplici protasi et apodosi constat, et subjectum est argumentationi necessariae I, 44: „necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur nec fieri nec probari possunt, hoc modo: 'si peperit, cum viro concubuit'.“ Inde sua hausit Julius Victor p. 407, 31, quem parum verisimile est idem exemplum, quo semel recte ad illustrandam argumentationem necessariam usus sit (p. 407, 31), postea perverse ad explicandam complexionem adhibuisse (p. 414, 10). Qua re ut in libris Tullianis I, 83 omittuntur vv. „id est: si peperit, concubuit cum viro“, sic apud Jul. Victorem inducenda ea esse censeo; ac videntur eo invito ex p. 407, 31 transcripta esse [1]) praemissa trita formula „id est“ (cf. dissert. p. 50).

p. 429, 12 adnotat Halmius: de inv. II c. 15. Sed disputat Cic. l. c. de solis locis communibus, ut huc referre nihil possis nisi vv. „de causa egredi nonnisi per locum communem“. Tota autem sententia de digressione, quam profert Victor: „Ciceroni placuit (in secundo artis rhetoricae) hanc partem non ponere in numero, quod de causa egredi nonnisi per locum communem putet oportere“ petita est haud dubie ex libro primo de inv. § 97 fin.: „nobis autem non placuit hanc (digressionem) partium in numerum [2]) reponi, quod de causa digredi nisi per locum communem displicet“. Conjectura igitur etiam Ang. Majus aberravit haec adnotans, quae Orellius ad verbum repetit, „videtur auctor intelligere locum ad Herennium II, 30.

[1]) Ad hanc sententiam ducit collocatio verborum: „concubuit cum viro“ (Cic.: „cum viro concubuit“).

[2]) Sic de Linsmayeri conjectura verissima (l. a. adn. 128) reposuit Kayserus.

Quod si ita se res habet, ipse in eorum sententia est, qui libros illos non Cornificio, sed Ciceroni tribuerunt“. Minime Victor 'intellexit locum ad Her. II, 30', sed de inv. I, 97; ac scribendum est p. 429, 12: „in primo artis rhetoricae“ pro „in secundo artis rhetoricae“. Vitium autem inde ortum est, quod nota numeri I cum altera linea litterae N quae praecedit conjungebatur (INI). [1])

IV.

De C. Mario Victorino.

(Halm. p. 153—304.)

Itane recte extremam partem inscripsi? Valde dubitari potest; ac statim exponam, in quas inciderim difficultates, cum quisnam scripserit quaererem commentarios illos in Ciceronis libros de inventione, qui vulgo prae se ferunt nomen Marii Victorini, clarissimi illius rhetoris, quem sub Constantio principe rhetoricam Romae docuisse narrat Hieronymus de illustr. eccles. script. c. 101 (vol. II p. 921 ed. Vallars.). Idem pater quem vocant ecclesiae plenum illius rhetoris nomen tradidit in praefatione comment. in epist. Pauli ad Galatas (VII p. 369 ed. Vallars.): „non quia ignorem, Cajum Marium Victorinum, qui Romae me puero rhetoricam docuit, edidisse commentarios in apostolum, sed quod occupatus ille eruditione saecularium literarum omnino sanctas ignoraverit.“ Atque his quidem temporibus, si quando pleno nomine interpres ille Tullianus affertur, nominatur C. Marius Victorinus, ut facit Ang. Majus script. vet. nova coll. III p. X, Orellius Cic. scholiast. I p. 1, Lachmannus praef. Terent. M. p. XIII, Eksteinius analecta ad historiam artis educandi [2]) p. 14, Teuffelius hist. lit. Rom.

[1]) Ex multis hujusmodi emendationibus notissimam illam, quam in vita Terentii protulit Ritschelius (Reiffersch. Suet. reliqq. p. 519), affero: „— — Q. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari dicit cum fabulis a Menandro conversis“, non „CVM CVIII fabulis“.

[2]) Programm der latein. Hauptschule in Halle 1861.

§ 384. Prius tamen magnopere in hoc nomine fluctuatum esse, neque in optimis illorum commentariorum codd. ita traditum esse nomen, jam videamus. Qua in re illud ingenue confiteor, mihi non innotuisse, utrum in ephemeride quadam literaria jam sit demonstratum, prorsus abjudicandos esse commentarios in Ciceronis libros de invent. a rhetore illo Africano, necne. Halmius quidem, quamquam in praefatione rhetor. lat. nihil hac de re dicit, tacitus a C. Mario Victorino abjudicare videtur, cum p. 153 praebeat titulum: „Q. Fabii Laurentii Victorini explanationum in rhetoricam M. Tullii Ciceronis libri duo.“ Breviter deinde tangit quaestionem Teuffelius in hist. lit. rom. § 384, 5 [1]); cujus sententia non nititur nisi p. 155 (ed. Halm); exstat vero p. 257 subscriptio libri primi antiquissimi illius cod. Darmstadiensis, quae est: „Q. Fabii Laurenti explationum in Rhetõc liber primus explicit incpt liber II feliciter.“ Vides Teuffelium errasse, cum dicit omnes codices consentire in nomine Victorini, quod ipsum non invenitur in optimo illo Darmst., qui ut aetate ita pretio multo ceteris illorum commentariorum libris mss. praestat. Deinde autem Halmii rationem non probo, qui p. 153 exhibet titulum: „Q. Fabii Laurentii Victorini explanationum“ seq., in quo maxime, ut par est, sequitur codicem Darmst., ita tamen, ut addat nomen Victorini, quod quo faciat jure nescio. Nam quod in cod. quodam Vaticano est inscriptio: „Q. Laurentii Fabii Victorini Marii“, ita explicandum videtur, quod duo nomina sunt conjuncta, illud, quod est in subscriptione codicis Darmst., et notum istud rhetoris Africani, qui omisso praenomine nonnunquam appellatur Victorinus Marius [2]); prave autem in eodem libro ms. immutatus est ordo nominum Q. Fabii Laurentii; nam tria cum conjunguntur nomina, temporibus saltem liberae rei publicae non licere

[1]) His verbis: „Der breite und wenig Vernünftiges enthaltende Commentar zu Cicero's rhetorica, welcher auf uns gekommen ist, gehört allerdings wohl einem Victorinus, da in diesem Namen alle Hdss. übereinstimmen, nicht aber unserem Rhetor Marius Victorinus. Vielmehr heisst der Verfasser im cod. Vaticanus (im Darmstad. saec. VII fehlt das erste Blatt) Q. Laurentius Fabius Victorinus Marius, im Frising. (saec. X) Victorinus kurzweg, und erst im Bamberg. (saec. XI) Marius Fabius Victorinus.“

[2]) Ut in inscriptione librorum de arte grammatica cod. Parisinus habet: „ars grammatica Victorini Mari de ortografia et de metrica ratione“; cf. grammat. lat. ed. Keil VI p. 3.

cognomen ante nomen gentilicium ponere, demonstravit G. Lahmeyer Philol. XXII p. 476. Quod vero in libro Vaticano accidisse conjecimus, idem factum putamus in duobus codd. Laurentianis, de quibus nonnulla tradit Bandinius: catal. codd. lat. biblioth. Laurent. II p. 508 et 523. Codex enim membranaceus plut. L, XII continet commentarios illos cum inscriptione: „Fabii Laurentii Marii Victorini explanationum in libros Ciceronis rhetoricorum libri II“, qui titulus in fine libri primi majoribus litteris repetitur: „Fabii Laurentii Marii Victorini explanationum“ etc. Clauditur cod. subscriptione: „praesens cod. continens Artem Veterem Rhetoricorum M. Tul. Ciceronis et Laurentium M. Victorinum Commentatorem est Francisci Philelphi Φραγκίσκου τοῦ Φιλέλφου.“ Alter ejusdem plutei cod. XLV post Ciceronis rhetoricam veterem quae dicitur habet: „Fabii Laurentii Marii Victorini explanationes librorum Ciceronis de Inventione.“ His libris mss., quos Bandinius saeculo XI tribuit, addo testimonium, quod si verum est, nomina illa non, ut supra suspicati sumus, ex duobus conflata sunt, sed unum efficiunt. Sirmondus enim in praefatione Ennodii epistolarum, quas anno 1611 edidit, postquam monuit, posterioribus imperatorum romanorum temporibus eorum nominum, quae homini cuidam sint attributa, proprium fuisse postremum, [1]) ita pergit: „verbi gratia M. Juniani Justini - - - proprium nomen fuit Justinus, et: Fabii Laurentii Marii Victorini, quae integra est nomenclatio clarissimi rhetoris, qui in Ciceronis libros de arte rhetorica scripsit, proprium item nomen quod postremum“; cf. Sirmondi opera I p. 1366 ed. Paris. 1696. Haec integra nomenclatio' quamquam unde desumpta sit nescimus, tamen facile concedimus Fabricio, cum suspicatur (biblioth. med. et inf. lat. VI p. 294 adn. a.), Sirmondum Laurentii nomen ex codicibus antiquis, quos non indicaverit, interposuisse. [2])

[1]) cf. quae contra dicunt Marquardt: röm. Privatalterth. I p. 28, 28 et Th. Mommsen Hermes III p. 76, 5.

[2]) Verisimile est, illa nomina in cod. Herivallensi exstitisse, ex quo Sirmondus duos edidit libellos (op. I p. 409), alterum: „ad Justinum Manichaeum contra duo principia Manichaeorum“, alterum: „de verbis scripturae 'factum est vespere et mane dies unus'“; utrumque Mario Victorino tribuit, professus tamen p. 345, V: „Victorini Afri duobus libellis, quos Herivallensis alter cod. suppeditavit, quia inscriptione carebant, titulos effinximus. Erit fortasse, cum aliud exemplar aptiores ac genuinos suppeditat.“ Ac si non in his libris nomen Fabii Laurentii Marii Victorini traditum erat, exstabat fortasse in inscriptione

Sed redeo ad subscriptionem codicis Darmst., quae confirmatur codice quodam monasterii Laureshamensis, de quo dicit Ang. Majus spicil. Rom. V p. XI: „XLIX, 4 'Fabii Laurentii liber de rhetorica'. Est hic ut comperi notus ille editus Victorini commentarius in rhetoricam Ciceronis; adnotavi tamen codicem propter nomen Laurentii inauditum ut puto, quia is vulgo dicitur: Fabius Marius Victorinus". Accuratius de eodem libro exposuit A. Wilmanns in commentatione de indice codicum Laureacensium; cf. Mus. rhen. 23 p. 385—410. Qui quidem p. 391 hunc in indice Laureshamensi codicis titulum esse dicit: „Liber de rhetorica favii laurenti"; idem p. 407 illum descriptum esse suspicatur ex Darmst., quocum, ut alia taceam, [1]) in ipsa subscriptione prioris commentariorum libri consentit: „Q. fabii laurenti explationum in rhetorica liber primus explicit: „Incipit liber secundus." Ceterum dubitari nequit, quin cod. Laureshamensis sive Palatinus idem sit, atque ille, de quo ad initium libri primi de inv. haec tradit Pithoeus (cf. edit. Burm. p. 303): „Quae in hos libros Victorini nomine Commentaria circumferuntur, Q. Fabio Laurenti (l. Laurentio) tribuuntur in vet. cod. Biblioth. Palatinae his verbis: 'Q. Fabii Laurenti expl̄tionum in rhetorica liber I explicit, incipit liber secundus'. Deest enim titulus libri primi." Ante hanc Pithoei adnotationem homo quidam doctus [2]) tradit: „In Ms. Coloniensi Basilicae Maximae ante Prolegomena [3]) M. Fabii Victorini haec inscriptio legebatur: Q. Fabii Laurenti explattonum in rhetōc liber primus." Inde etiam inscriptionem codicis Darmst., cujus primum folium periit, restituere posse mihi videor. Eundem enim arbitror esse codicem Coloniensem et Darmstadiensem; primum quia Darmst. olim erat Coloniae [4]), deinde quia consentiunt in corrupta scriptura verbi 'explanationum':

aut in subscriptione commentariorum aliquot epistolarum S. Pauli, quos eodem cod. contineri paulo post Sirmondus adnotat.

[1]) De Censorino reliquiisque, quae ei adjunctae sunt, dicit Wilmanns l. a.; de inscriptione et subscriptione Fortunatiani et Augustini cf. quae Halmius ex Darmst. affert p. 81, 102, 151.

[2]) Graevius, nisi fallor, cujus mentio inferius facienda est; idem servavit adnotationem Pithoei, cf. praefat. Burmannianam p. XXIV.

[3]) Intellige verba, quae apud Halmium p. 155—156, 30 leguntur. Haec enim editt. Colonienses a. 1535 et 1544 appellant 'prooemium', edit. Aldina (1582) 'Prolegomena'.

[4]) cf. Censorinus: de die natali, ed. O. Jahn, p. XVI, Halm. praef. rh. l. p. VI.

EXPLATIONVM Halm. p. 257,
EXPLATTONVM Burmann. p. 303.

Tum idem usurpatur compendium in verbo 'rhetoricam' sive 'rhetorica': RHETŌC Halmius, quocum conferas Burmanni: RHETŌC. Denique invenitur in solo cod. Darmst. (p. 178, 11 Halm.) scriptura „praepandas", quam ex Coloniensi illo affert Graevius ad Cic. I, 7, 9: „Ad haec notat Victorinus: 'Vocis et corporis moderatio, id est, ut rem magnam dicturus pompam corporis vocisque perpendas, ut rem humilem dicturus, haec eadem, moderatius ostentes'. Sed τῷ perpendas hic nullus est locus, ut ex opposito: „moderatius ostentes" liquet. Ms. Coloniensis scribit „praepandas", quod, si ita Victorinus scripsit, positum est pro expandas, dilates. Tale quid sententia postulat". Quae modo exposui tantam prae se ferre videntur veritatis speciem, ut non amplius dubitem, quin eundem dicam Graevii cod. Coloniensem et Halmii Darmstadiensem. Itaque etiam in inscriptione codicis Darmst. commentarios illos non Mario Victorino, sed Q. Fabio Laurentio inscriptos fuisse dicendum est. — Attamen etiamsi quis in incerto relinquat, utrum codices illi sint eidem, necne, proficiscendum utique est in nomine constituendo a subscriptione, quae est in Darmstad.; nam multo est antiquissimus, neque ulla est suspicio, nomen illud aut fictum aut ab alio quodam nobiliore rhetore translatum esse, cum alio loco, quoad sciam, non inveniatur; denique traditum est eo loco, qui a depravationibus maxime est tutus. Nam cum cogitamus, quantopere ipsi librorum tituli expositi fuerint corruptelis et depravationibus, subscriptio in vetustissimo Darmst. multo majorem sibi vindicat auctoritatem, quam inscriptiones recentioris aetatis codicum. Jam vero si quod maxima fide est dignum secuti, abjudicamus commentarios illos a C. Mario Victorino, probare non possumus Halmii rationem, qui scriptorem appellat: Q. Fabium Laurentium Victorinum, quod in nullo cod. exstat. Halmium tamen sequi videntur Hübnerus [1]) et Teuffelius, quorum hunc parum diligenter dixisse (hist. lit. rom. § 384, 5) omnes codd. in nomine Victorini consentire, supra monuimus.

[1]) Grundriss für Vorlesungen über röm. Litteraturgesch. p. 70: „Verschieden von ihm (a C. Mario Victorino) der Rhetor Q. Fabius Laurentius Victorinus in Halms rhet. lat. min. p. 153."

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. L
stellt.
12. S
13. G
14. C
Ferr
15. J
deutung

Die
gens 10–

Sed priusquam probabile quidquam de scriptore commentariorum illorum constituamus, etiam libros mss. recentioris aetatis et antiquiores editiones respiciamus oportet; quamquam tantum abest, ut eis adhibitis difficultates tollantur, ut mirum quantum augeantur. Nam cum constet, rhetorem illum Africanum pleno nomine appellatum fuisse Cajum Marium Victorinum, in nullo codice et editione ita nomen scriptum est. [1]) Primum enim in ed. Pithoeana (Parisiis 1599) et Capperonneriana (Argentorati 1756) inscribuntur commentarii simplici nomine Marii Victorini, quod etiam in subscriptione codicis Basil. invenitur, cf. edit. Orell. p. 1. Deinde inscribuntur nomine Fabii Victorini praemissa littera M. in ed. Stephaniana (Parisiis 1537), Basileensi (1541), Aldina (1582), ita ut existat nomen Marci Fabii Victorini. Tum in ed. Ascensiana (Parisiis 1508) exstat titulus: „- - M. Tullii Ciceronis de inv. libri duo a Mario Fabio Victorino rhetore expositi.“ Hanc editionem fortasse respicit Barthius adv. XXXVI c. 1: „vetus nobis est editio ante annum abhinc centesimum quadragesimum procusa, quae tam bona tamque fidelis est, ut facile fungi codicis prisci vicem valeat, - - - titulus est: Marii Fabii Victorini.“ Ex libris mss. Bamberg. et in inscriptione et in subscriptionibus (cf. p. 155, 257, 304 Halm.) praebet: Marii Fabii Victorini. Inter nomina, quae modo enumeravimus, nomen Marii Victorini referendum esse patet ad rhetorem illum Africanum, qui omisso praenomine ita nominari solet. Quid vero fiet de Marco Fabio Victorino? Primum prorsus rejiciendum est praenomen „Marci“; oportet sane significare litteram M, quae in editt., quas supra attuli, praemittitur, nomen Marci; sed vereor, ne editores prave illo compendio usi sint, ut nomen Marci significent. Quod comprobatur editione Coloniensi a. 1535, quae in fronte hunc habet titulum: M. Tullii Ciceronis de inventione rhetorica libri duo cum M. Fabii Victorini rhetoris - - - commentariis; pag. vero 175 sic scriptum est: „Marii Fabii Victorini rhetoris“, denique p. 179 denuo legitur: „M. Fabii Victorini in primum Ciceronis de inv. commentarius.“ Atque eodem modo in altera ed. Coloniensi a. 1544 [2]) bis

[1]) Excepta edit. Orelliana, in qua Hieronymum secutum Gaji non Marci praenomen illi se tribuisse Orellius p. 1 adnotat.

[2]) Fuit quondam haec editio, quae nunc est Gottingae, in hac nostra bibliotheca academiae Juliae. Quod intelligitur ex eis, quae in initio libri typis descripta sunt: „Ex Bibliotheca coenobii S. Ludgeri juxta Helmstadium, a Serenissimo Duce Carolo Guilielmo Ferdinando Academiae Juliae Carolinae donata anno MDCCCIII.“ Commemoro hoc, quia inquirendum mihi tandem videtur, quo pervenerint omnes illi libri, qui in bibliotheca academiae Juliae fuerunt Helmstadii.

legitur: „M. Fabii Victorini“ (p. 1 et 178), semel (p. 174): „Marii Fabii Victorini“, ut hoc pro certo affirmem, editores illos Colonienses littera M. non Marcum, sed Marium notare voluisse. Quod idem de eis dicendum erit, qui editiones, quas supra attuli, publicaverunt; praesertim cum nullus adhuc quidem notus sit codex, in quo exstet: „M. Fabii Victorini.“ Atque etiamsi hoc in libro quodam ms. exstaret, non multum huic rei tribuendum esset, cum, ut exemplum afferam, librarium codicis Laurentiani plut. L, 12 bis scribere videamus: „Fabii Laurentii Marii Victorini“ (Bandin. l. a. p. 508) et tamen hac uti subscriptione: - - „continens — Laurentium M. Victorinum commentatorem.“ Iterum igitur nota M. non „Marcus“, sed „Marius“ significatur, ut antea bis plene scriptum est. [1])

Praenomine Marci rejecto aut mutato potius, pervenimus jam ad Marium Fabium Victorinum, quod nomen exstare dixi in edit. Ascensiana (1508) Coloniensibus (1535 et 1544) ac, quod gravissimum est, in cod. Bambergensi (saec. XI). De explicandis illis nominibus cum saepe et multum mecum cogitarem, incidi in suspicionem, etiam in illis nomen gentilicium ejus nominis, quod exstat in D („Q. Fabius Laurentius“), conjunctum esse cum nomine et cognomine rhetoris Africani; qua conjunctione existit: „Fabius Marius Victorinus.“ Sed insuper transponenda sunt „Fabius“ et „Marius“, si restituere volumus quod in Bambergensi ter traditum est (p. 155, 257, 304). Haec explicandi ratio si nimis artificiosa cuidam videbitur esse, reminiscatur, eo, quo Marius Victorinus fuerit tempore, funditus romanorum nominum ordine turbato mira quadam libidine nomina multiplicata et transposita esse; de qua re cf. Paulii encyclop. s. v. nomen p. 674, Marquardt: antiquitat. rom. priv. I p. 24 seq.; Th. Mommsen Hermes III p. 70 seq. Utut explicatur nomen Marii Fabii Victorini, constare mihi videtur, „Fabium“ ad „Marium Victorinum additum esse ex

[1]) Conferri etiam potest nomen grammatici Marii Plotii Sacerdotis, qui in subscriptionibus artis grammaticae librorum nominatur: M. Claudius Sacerdos; cf. H. Keil: index scholarum in universitate Halensi $187^{2}/_{3}$ p. IV.

2. G
Secundar
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. G
14. C
Ferı
15. J
deutung
Die
gens 10–

Quinto illo Fabio Laurentio. — Atque eodem modo explicandum est „Fabius Marius Vict.“, quod nomen in compluribus exstat editt., quamquam investigare non potui, ex quibus libris mss. desumptum sit. Primum illud in Sirmondi op. I p. 409 inveni, ubi titulo Fabii Marii Victorini duo eduntur libelli, quos supra (p. 23, 2) attuli. Tum commemoranda sunt verba Labbei: de script. eccles. (1660) II p. 467: „Cajus, sive ut alii malunt, Fabius Marius Victorinus.“ Sirmondum deinde respicere videtur Fabricius biblioth. med. et inf. lat. VI p. 294: „Victorinus, pleno nomine: Fabius Marius Victorinus Afer.“ Denique affertur Fab. Mar. Vict., ut consistam in enumerando, a Cavio hist. lit. eccles. I p. 228. Repeto vero a nullo horum editorum afferri codicem, in quo ita scriptum sit.

Sed quid tandem sibi vult nomen Q. Fabii Laurentii, quod in cod. Darmst. et Palat. invenitur? Significatne rhetorem quendam diversum a C. Mario Victorino, an hic utroque nomine usus est? Quidquam nobis traditum esse de Q. Fabio Laurentio non puto, ut ex mera conjectura haec fere excogitari liceat: rhetorem quendam Q. Fab. Laur. ante Victorinum commentatum fuisse Ciceronis rhetoricorum libros; hosce commentarios a Mario Victorino excerptos partim illius nomine (Darmst. Palat.), partim hujus (Frising.), partim utriusque (Vatic. Laurentiani) inscriptos esse; ut similiter Th. Bergkius Philol. XVI p. 639—647 quattuor de re metrica libros primitus ab Aphthonio scriptos esse comprobare studuit, deinde excerptos esse a Mario Victorino, cujus opus nobis traditum sit, cum prius illud perierit. Verumtamen cum nulla in illis commentariis brevioris quae vocatur recensionis appareant vestigia, omnia contra summa loquacitate exponantur, rejiciendam arbitror illam conjecturam. Quo facto si tamen de Quinto quodam Fab. Laurentio cogitamus, restare videtur, ut sumamus aut discipulum quendam Marii Victorini, aut rhetorem ante Cassiodorum, qui hosce commentarios jam novit, eos ex scholis, quas habuit Victorinus, edidisse, ut ad hunc eorum redeat argumentum et materia, qui fortasse aliqua causa, quae nos fugit, prohibitus est, quominus ipse publicaret quae in scholis tradiderat. Qua in conjectura eodem modo quo supra sumendum esset, modo solius editoris, ut ita dicam, modo utriusque, et illius et Victorini nomini inscriptas fuisse explanationes. Sed ne haec quidem sententia magnam prae se fert veritatis speciem, ut confugiam ad opinionem, nomen Q. Fab. Laur. eundem significare, quem C. Mar. Victor.; ex quibus nominibus alterum fortasse primitus impositum erat rhetori illi [1]), alterum postea assumpsit, sive in adoptione quadam, — quamquam de hac re nihil traditum est, — sive postquam Romam migravit, sive postquam fidem Christianam professus est, sive alia de causa, quam invenire non possumus. Quod ut ponam cum illud me movet, quod Victorini temporibus nomina mirum quantum cumulabantur, tum testimonium Cassiodori, qui de Ciceronis rhetoricis locutus horum ‘commenta a Mario Victorino composita’ Vivariensibus monachis in bibliotheca sua se reliquisse dicit in instit. divin. et saecul. lit. II p. 565 (ed. Garet.) = rhet. lat. min. p. 498, 7: „Haec licet Cicero, latinae eloquentiae lumen eximium, per varia volumina copiose nimis et diligenter effuderit, et in arte rhetorica duobus libris videatur amplexus, quorum commenta a Mario Victorino composita in bibliotheca mea vobis reliquisse cognoscor.“ Itaque centum et sexaginta fere annos post Marium Victorinum ab hoc compositos esse commentarios, de quibus agitur, is auctor est, quem omnium accuratissime Victorini libros novisse, ex eis intelliges, quae Osannus de eo affert: symbolae ad hist. lit. graec. et rom. II p. 374 seq. Huic testimonio, quod mihi quidem in hac quaestione dijudicanda summi est momenti, accedit aliud ejusdem fere temporis; quod si non C. Marium Victorinum, tamen Victorinum certe horum commentariorum auctorem esse confirmat. Scholiasta enim Leidensis, quem in praefatione dissertationis (p. 7) commemoravi, complures adnotationes debere videtur Victorino, saepius non nominato, bis vero ita commemorato, ut videamus anonymum illum commentarios, quos cod. Darmst. ascribit Q. Fabio Laurentio, tribuisse Victorino. Quod apparet ex eis, quae p. 234 adnotat ad Cic. I § 2 s. f.: „‘rationem’ autem et ‘orationem’ appellat illius viri sapientiam et eloquentiam. Vel, secundum Victorinum, ‘ratio’ ad sententiarum gravitatem refertur, ‘oratio’ vero ad ornamentum verborum; quibuscum Suringar recte comparat quae Marius Victorinus ad hunc locum dicit p. 163, 8 (Halm.): „‘ratio-

[1]) Fieri etiam potest, ut ab initio omnibus illis nominibus appellatus sit, cum his postremis temporibus romanis inveniantur, qui etiam pluribus utantur nominibus; cf. Marquardt l. a. p. 27, Mommsen l. a. p. 75.

nem' ad sententiarum gravitatem referendam sciamus, 'orationem' ad ornamenta verborum." Non minus dilucide scholiasta Victorinum respicit p. 244: „Secundum Victorinum hic ponitur quarta propositio, haec scilicet: „quod eloquentiae studium („studendum" Suringar) sit. Unde sapientes hortatur, ut eloquentiae studeant"; ad quae conferri jubet Suringar p. 169, 4 (Halm.): „ne quis ergo existimet eloquentiam semper esse fugiendam, quippe multa incommoda per hanc contigisse monstravit necessario, quarta haec thesis est, studendum eloquentiae, sed quae sit mixta sapientiae. Et est hic quasi adhortatio." Hac ratione gravissimo illi Cassiodori testimonio duo accedunt, quae ad eundem C. Marium Victorinum referre non dubito; alia, quae commentarios illos aut Mario Victorino aut Q. Fabio Laurentio ascribant, vix inveniuntur. Quae cum ita sint quaerendum denique est, num fortasse in ipsis explanationibus conferre nos jubeat auctor quae praeterea scripserit. Verum satis mirum est, nunquam commemorare Victorinum, si hunc scriptorem esse sumimus, reliquos suos libros, qui partim nobis sunt traditi, partim ex titulis tantummodo innotuerunt. [1]) Tamen tenuia quaedam vestigia in memoriam nobis revocant nonnullos libros, quos Victorinum scripsisse ex Boethio Cassiodoro Isidoro constat. Ut exemplum afferam, ex disciplina, quam in libro de syllogismis hypotheticis (Osann. l. d. p. 374, Eckstein. l. d. p. 15) tractavit, desumpta existimo quae p. 246, 1 profert: „cum in propositione 'si' est, κατὰ συνημμένον dicitur, cum in propositione 'aut' est, κατὰ διεζευγμένον dicitur." Ejusdem doctrinae est, quod p. 285, 9 dicit: „Soritici syllogismi fecit formam, qui in infinitum semper intenta rei definitione porrigitur: 'occidit Horatius, occideret accusator': ita semper sine judicio erit poena." Demonstravit praeterea Ecksteinius l. d. p. 15 Victorinum peculiare scripsisse opusculum de definitionibus, ex quo petitum sit alterius Isidori originum libri caput XXIX cum inscriptione: „de divisione definitionum ex Marii Victorini libro abbreviatus"; quam expositionem idem publicavit l. d. p. 16—19. Ex hac editione nonnulla afferam, in quibus Victorinus Isidoreus consentit cum auctore commentariorum ad Ciceronis

---

[1]) cf. Osann. l. d. p. 373—377, Eckstein. l. d. p. 14—16.

libros de inv. Qui quidem in universum de definitionibus loquitur p. 173, 36: „res interdum specialiter definimus, cum, quid sint, ab isdem ipsis incipimus demonstrare, - - - interdum, quo clarius rem definiamus, a genere incipimus ejus rei, quam definimus." Accuratius deinde ea, quae p. 194, 36 leguntur: „optima definitio est, quae a genere incipit, deinde descendit ad speciem, postremo ita propria complectitur, ut excludat omnino id, quod cum aliis potest esse commune" in mentem nobis revocant quae apud Isidorum exponit Victorinus p. 16, 7—10: „Prima species definitionis est, quae graece οὐσιώδης, id est substantialis, sed magis essentialis, quae proprie et vere dicitur definitio, ut: 'est homo animal rationale, mortale, sensus disciplinaeque capax'. Haec enim per species et differentias descendens venit ad proprium et designat plenissime, quid sit homo." Ex quibus exemplum: „homo animal est rationale" etiam in commentariis p. 182, 18 legitur. Tum in eisdem saepius commemoratam invenies eam definitionis speciem, quam Victorinus Isidoreus secundo ponit loco (Eckst. p. 17, 1—6), velut p. 208, 41: „hic hoc animadvertendum est, ut definitionem partitionis non ab eo, quid sit, sed ab eo, quid faciat („agat" Isid.), collegerit"; quod similiter redit p. 213, 18: „definitio confirmationis non per id, quod est, sed per id, quod facit." Denique idem hujus definitionis nomen legitur apud Isidorum p. 17, 1 et in commentariis p. 284, 6: „hanc (relationem) definivit per ἐννοηματικὴν definitionem" et p. 285, 24: „ἐννοηματική definitio."

Haec ejusdem doctrinae exempla, quae ex reliquis Victorini libris fortasse possunt augeri, confirmant testimonium Cassiodori et scholiastae Leidensis: commentarios illos compositos esse a Cajo Mario Victorino. Quod si sumimus, restat sane difficultas illa, quomodo factum sit, ut in vetustissimo Darmst. et Palat. scriptor tradatur esse: „Q. Fabius Laurentius", in Bamberg. „Marius Fabius Victorinus", in duobus Laurentianis: „Fabius Laurentius Marius Victorinus." Ad quam quaestionem, ut summam eorum, quae adhuc disputavimus, complectamur, respondendum est: videri rhetorem illum Africanum duplici usum esse nomine, et Q. Fabii Laurentii et C. Marii Victorini, sive ab initio his duobus appellatus est nominibus, sive postea alterutrum aliqua de causa, quae nos quidem fugit, assumpsit; ex qui-

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. C
14. C
Fern
15. J
deutung

Die
gens 10–

bus nominibus modo priore [1]) (ut in Darmst. et Palat.), modo utroque vocatum esse (ut in Vatic. Laurent. Bamberg.). Ac si quod altero posuimus loco fiebat, videtur plerumque brevitatis causa tantummodo nomen Fabii cum Mario Victorino conjunctum esse; quo fit, ut in permultis editt. inveniatur: „Fabius Marius Victorinus" et „Marius Fabius Victorinus". — Ad extremum commemoramus haud magni esse momenti, in commentariis ipsis nominari Victorinum p. 188, 4: „Ponamus itaque haec tria: Victorinus docet" seq. Nam hoc exemplum et Marius ille Victorinus de se potuit sumere, et alius aliquis aut de eo, aut de uno aliquo Victorino; complures enim exstitisse jam demonstravit Launoy: „De quinque illustribus Victorinis" op. II, 1 p. 645—649.

Haec fere sunt, quae mihi saepenumero cogitanti de scriptore commentariorum, qui tribui solent rhetori illi Africano, in mentem venerunt. Quem si auctorem esse tenemus, quaeri potest, utrum illos sive scripserit sive ediderit antequam religionem Christianam sit amplexus, an postea. Priori sententiae in universum videtur favere, quod illum demum 'in extrema senectute Christi se tradidisse fidei' narrat Hieronymus de illustr. eccl. script. c. 101. Praeterea in ipsis explanationibus duo inveniuntur loci, qui ad quaestionem dijudicandam aliquid afferre videntur. Verum videntur tantum, nam certi quidquam ex eis non efficio. Prior exstat p. 232, 39: „Inter homines autem verum latet totumque suspicionibus geritur; ergo necessarium esse non potest argumentum. Sed tantum inter homines potest necessarium, quantum secundum opinionem humanam valet. Alioqui secundum Christianorum opinionem non est necessarium argumentum 'si peperit, cum viro concubuit': neque hoc rursus: 'si natus est, morietur'. Nam apud eos manifestum est sine viro natum et non mortuum"; ad quae conferenda sunt quae adnotat Capperonnerius. Quamquam quae modo apposui interpreti non ignotam fuisse ostendunt Christianorum doctrinam, tamen ex frigida illa dicendi ratione: „apud eos manifestum est sine viro natum et non mortuum" apparere videtur, illum nondum publice fidem Christianam professum esse. Quod si factum esset, pro „apud eos" exspectamus „apud nos", aut certe indicari

[1]) cf. Mommsen l. d. p. 77 adn. 1.

aliquo modo sibi illorum sententiam in rebus divinis probari, praesertim cum cogitamus, quanta animi alacritate ex Augustini narratione (confess. VIII, 2) fidem Christianam amplexus sit. — Alter locus his paucis continetur verbis p. 249, 12: „verum est enim, quod Simon volavit, sed tamen incredibile est." Fabulam, quam scriptor tecte significat, haec est: Simon cognomine Magi, qui jam in apostolorum actis commemoratur, Romae coram Petro gloriosius de se praedicans promisisse dicitur, se volaturum esse; experimento facto Petrum implorasse deum, ut hominem fallacem, falsis deis confisum, dejiceret; quo facto Simonem, cum jam aliquantulum volasset, decidisse. Ita fere res primum in constitut. Apostol. VI, 9 et ab Arnobio adv. gent. II, 12 narratur. Videmus igitur nosse Victorinum fabulam illam paulo obscuriorem, ut rectissime Augustinus tradidisse videatur (confess. VIII, 2, 4), illum jam antequam fidem professus sit 'omnes Christianas litteras investigasse studiosissime et perscrutatum esse'. Atque huic rei comprobandae optime afferuntur loci, quos ascripsi; nec tamen ex eis efficitur, Marium Victorinum, cum illa scriberet, fidem Christianam jam publice professum esse. Idem pater qui dicitur ecclesiae, ut Victorini eruditionem leviter tangamus, de ratione, qua ille in philosophiam operam contulerit, judicat hoc modo: „qui philosophorum tam multa legerat et dijudicaverat." Quod judicium nonnullis commentariorum locis comprobatur, ex quibus perspicitur, philosophia illum imbutum esse; loquitur enim de Socrate [1]), de Platone [2]), de Aristotele; hujus categorias affert p. 183, 32 et p. 232, 6; p. 195, 21 seq. et 211, 25 dicit de 'substantia et eis, quae accidunt'; quibus adde p. 219, 17 [3]) 228, 29. Commemorat etiam Epicureos p. 302, 7: „Epicurei enim dicunt virtutem expeti ipsam propter voluptatem", quod inferius v. 24 repetit; nec denique omittitur Lucre-

[1]) p. 162, 24: „Hoc etiam Socrates ait, nihil esse utile, quod non honestum sit, nihil honestum, quod non utile sit."

[2]) p. 156, 2: „Hanc virtutem Plato dicit nunc arte fieri, nunc cum hominibus nasci, nunc exercitatione confici, nunc a deo dari"; p. 215, 28: „Sapientes quidam sic definierunt naturam: natura est ignis artifex quadam via vadens in res sensibiles procreandas; etenim manifestum est omnia principe igne generari. Plato autem sic definivit: natura est dei voluntas. Et inter ceteras haec magis probanda definitio."

[3]) cf. tamen quae h. l. contra dicit Schuetzius in edit. librorum de inv. (1804) p. 155.

tius p. 176, 15: „Lucretius negat esse veros sensus odoris, visus, tactus, saporis, auditus"; p. 222, 35: „Secundum Lucreti ceterorumque sententiam inane totum locus est, quod inane patet rebus occupaturque ab elementis, igni, aere, aqua, terra." Minus studiose Victorinum res gestas persecutum esse monet Kayserus Philol. VI p. 706; idemque litterarum Graecarum eum non ita peritum fuisse recte ibid. videtur dixisse. Nam pauca ille quidem affert vocabula Graeca, quae cuivis mediocriter in arte rhetorica versato sunt nota; velut: *πιστεις ἄτεχνοι* p. 269, 28. 270, 22, 29, 30; *σχήματα λέξεως καὶ διανοιας* p. 271, 23 et 27; *ἐπαγωγὴ καὶ συλλογισμός* p. 240, 13; *πιστικῶς εἰπεῖν* p. 234, 35; *ὑπόθεσις* et *θέσις* [1]) p. 259, 32 et quae similia sunt. Paulo accuratius Victorinus scriptores latinos novisse existimandus est, ex quibus saepius affert Terentium [2]) Vergilium Sallustium Ciceronem.

Genus dicendi commentariorum, ut de hoc verbo moneamus, magis purum et incorruptum est, quam in eis, quae de rebus divinis scripsit Victorinus; inveniuntur tamen etiam in his singularia quaedam; cf. adnott. Capperonnerii ad p. 161, 23. 181, 20. 262, 33. 264, 1. Nec desunt verba, quae posterioribus demum temporibus usu recipiuntur. Ex quibus praetermissis vocabulis artis rhetoricae propriis afferre sufficiat: p. 159, 39: „disertitudo", p. 173, 19 „incantatio — ligatura", p. 202, 11, 14, 15: „historiographi, comoediographi, tragoediographi, versidici", p. 239, 16: „grammaticalis", p. 270, 7: „generalitas", p. 280, 12: „jussio", p. 300, 21: „discretio", p, 302, 37: „irreligiositas", p. 304, 12: „possibilitas". Nullo autem modo comparari possunt haec verba cum miris illis, quae de aspera Afrorum latinitate disputans ex Victorini libris collegit Ang. Majus script. vet. nova coll. III p. XVII: „connaturalis, consubstantiatus, impassionabiliter, imparticipatus, inexistentialiter, intelligentialitas, potentificari" et quae similia sunt; cf. Bernhardy: hist. lit. rom. adnot. 231. Rationem denique explicandi, quam sequitur rhetor, breviter attingunt Suringar hist. crit.

[1]) cf. Volkmann: „Hermagoras oder Elemente der Rhetorik" p. 13; Fr. Blass: „Die Griech. Beredsamkeit in dem Zeitraume von Alexander bis auf Augustus p. 87.

[2]) Verba quae leguntur p. 235, 16: „Ita et Terentius meretrices malas, avaros lenones, tristes senes, edaces parasitos esse memoravit" comparat Umpfenbach in ed. Terentii cum Eunuchi prol. v. 37.

schol. Lat. I p. 157 et Gräfenhahn: hist. philol. IV p. 304, ut hac in re non minus verbis supersedendum videatur, quam in eis, quae de illius vita scriptisque saepius sunt exposita. Accedamus igitur ad ea, quae ex explanationibus in Ciceronis rhetoricis emendare possimus.

Ac primum quidem ut de codice, ex quo rhetor hausit, pauca praefemur, saepius in eis, quae de anonymo Albino Julio Victore disputavimus, illum jam habuisse vidimus magnam partem glossematum. Eam autem in rem inquirere, ad quosnam nostrorum codicum proxime ille accesserit, res magni est negotii. Multa enim e memoria affert Victorinus, multa negligenter exscribit, multa ad arbitrium transponit. In qua inconstantia negligentiaque illud potissimum mireris, quod nonnunquam eidem loci Tulliani bis allati inter se differunt, non modo in collocandis verbis, sed etiam in addendis, mutandis, omittendis; utriusque generis nonnulla exempla apponere non alienum arbitror esse:

p. 170, 23: „videtur dicendum" 171, 3 „dicendum videtur".
„ 173, 1: „apposite dicere" 173, 9 „dicere apposite".
„ 185, 3: „sint causarum" 233, 36 „causarum sint".
„ 160, 12: „bestiarum more" 160, 26 „best. modo".
„ 167, 23: „quibus rebus" 167, 35 „quibus ex rebus".
„ 176, 6: „mundi forma" 176, 17 „mundi facies".
„ 204, 35: „in narratione procedetur"
„ 206, 29: „narrando procedetur".
„ 214, 16: „nomen est uniuscujusque personae"
„ 214, 32 et 215, 10: „nomen est cuique personae".
„ 230, 43: „natura ejus rei evenire"
„ 231, 9: „natura ejus evenire".
„ 236, 4: „ignosci convenit" 251, 27 „ign. oportet".
„ 267, 40: „fuerit necesse" 269, 14 „sit necesse".
„ 294, 3: „semper idem spectare"
„ 294, 11: „semper ad idem spectare".

In hac tanta inconstantia negligentiaque quid mirum, multas habere Victorinum lectiones, quae non exstant in Ciceronis libris mss.? Ortae autem sunt tum ipsius culpa, cum in interpretando non diligenter verba transcriberet, tum librarii quoque mutasse interdum existimandi sunt quae non intelligebant, tum, quod gravissimum est, fuisse illae quidem videntur in Victorini exemplari, cum in nostris codd. mss. non jam inveniantur. Ut vero origine, sic pretio

illas differre patet; sufficiat igitur ex magno earum numero eas elegisse, quae quam maxime dignae videantur, quae lectioni vulgatae aut anteponantur aut certe aequiparentur. Cujusmodi sunt:

p. 161, 6 et 165, 12: „non jus aequabile quid utilitatis haberet acceperant“, I, 2.
„ 163, 1 et 5: „propter insolentiam reclamitantes“ I, 2.
„ 169, 40: „privatim et publice“, om. „et“ ante „privatim“ I, 5.
„ 175, 37: „causam esse dicat, quae“ I, 8.
„ 175, 40: „dicimus attributam“ (cf. p. 274, 17) I, 8.
„ 189, 4 et 22: „numerus constitutionis duplicatur“ I, 14.
„ 191, 27: „demovere conatur“ I, 15. [1]
„ 193, 18: „dein considerandum est“ I, 17. [2]
„ 199, 17: „abalienes ab eis“ I, 24.
„ 204, 21, 30. 206, 26: „initium sumet non“ I, 28. [3]
„ 208, 4: „illud autem jam praeterea“ I, 30.
„ 221, 43: „cujus causa factum sit“ I, 37. [4]
„ 224, 25: „longinquitas est consideranda“ I, 39.
„ 225, 33: „facultates sunt autem quibus“ I, 41.
„ 228, 28: „in genere diverso ab eo cui“ I, 42. [5]
„ 231, 37: „materiam universe ante“ I, 34. [6]
„ 243, 39: „nihil autem melius, quam omnis mundus administratur“ I, 59. [7]
„ 247, 44: „diluitur aut elevatur“ I, 78. [8]
„ 250, 38 et 40: „non esse signum aut parum magnum esse“ I, 81. [9]

---

1) „Demovere“ in eadem definitione habet Cic. II, 86; confirmatque Victorini scripturam Cassiodorus p. 496, 36.
2) cf. dissert. p. 41.
3) cf. Albin. p. 535, 38; „et“ in Victorini cod. post „sum*et*“ videtur excidisse, sed genus activum, quod etiam Albinus habet („sumat“ vitiose), admodum placet.
4) Idem legit scriptor incertus p. 308, 18.
5) cf. dissert. p. 23.
6) „universarum“ P^{1}V „universam“ P^{2}ART.
7) Sic etiam Julius Victor p. 409, 31; Albinus p. 541, 7 addit „omnium“ post „autem“; libri Tulliani et Quintil. V, 14, 8: „nihil autem omnium rerum melius“ etc.
8) cf. supra p. 5 seq.
9) Adjecto lemmatis signo Victorini verba hoc modo scribenda sunt:
250, 38: aut non esse signum] id est - - - esse non potest.
250, 40: aut parum magnum esse signum] etenim - - - scio magnum signum.

p. 252, 42: „res vera aut verisimilis“ I, 82.
„ 253, 24: „enumeratio autem vitiosa“ I, 84. [1]
„ 271, 18: „animus renovatur ... aut exsuscitatur“ II, 49. [2]
„ 274, 17: „utilem demonstrabimus“ II, 54 fin.
„ 283, 1: „aut alia ratione“ II, 74.
„ 289, 1: „nam et in senatu de Syphace diu deliberatum est“ II, 105. [3]
„ 289, 3: „animo bono se in populum fuisse“ II, 105.
„ 294, 9: „cum prope muros hostes“ II, 123 fin. [4]
„ 304, 14: „Casilinenses sese dedere“ II, 171.

Jam vero quaeritur, utrum libri vel liber, quem Victorinus ad explicandum adhibuit, in meliorum numerum referendus sit an non. Ex accurata omnium locorum collatione id mihi persuasi, magis illum ad deteriorem recensionem ut ajunt, quam ad meliorem inclinasse. In bonis enim quas habet lectionibus cum uno alterove deteriorum codicum consentire solet, et ab eisdem facit contra optimos, si quando in his solis vera scriptura servata est. Adjiciam exempla, quae quid de illius et vetustissimorum codd. consensu dicendum sit, ostendunt; conspirantes cum PV exhibet scripturas:

„ 178, 30: „materia“ PG (V deficit) „de materia“ EART.
„ 189, 26: „aliquam“ P^{1}VEAT „aliquando“ P^{2}GR.
„ 199, 12: „existimaris“, „existimeris“ P^{1}VG „existimeris defendere“ P^{2}ART.
„ 201, 9: „cum“ PVGEErf.ATS „quoniam“ R.
„ „ „ „sint“ PVGEErf. „sunt“ ART.
„ 219, 40: „geometricae“ PVAT^2 „geometriae“ GRT^1.
„ 224, 16: „et cum“ P^{1}VGAT „et quae cum“ P^{2}R.
„ 226, 18: „negotio autem“ PVGAT „autem negotio“ R.
„ 229, 34: „commode“ P^{1}VGS „commodius“ ART.
„ 230, 33: „de ea re“ PVGAT „ea de re“ R codd. Oud.

251, 1: „aut ab se potius, quam ab adversariis stare] si dicatur - - - erubuit.
251, 3: aut omnino falso dici] si dicatur - - non palleat.
251, 4: „aut in aliam quoque suspicionem duci posse demonstrabitur] si dicatur seq.

1) cf. dissert. p. 26 adn. 3.
2) cf. ibid. p. 20.
3) Comprobatur Victorini testimonio conjectura Kayseri includendum esse l. d. „aut in consilio“ (sic PVANErf. „aut consilio“ S „et in consilio“ RVoII Ldd.), sed recipiendum etiam est „et“ ante „in senatu“.
4) „Quod“, ut legitur in libris Tullianis, ortum videtur ex „quom“.

2. C
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. C
14. C
Fer
15. J
deutung

Die
gens 10

p. 242, 5: „vis" PVGT^{1}S „mavis" RET^2.
„ 255, 23, 25: „instituit [1]) PVAT^2 „instituitur" GEBR.
„ 265, 22: „consequatur" P^{1}VAT „consequantur" P^{2}R codd. Oud.
„ 267, 5: „aliae" PKN „et aliae" S „aliquae" P^{2}ART.
„ 291, 15: „hoc modo" P^{1}V^1 „si hoc modo" R codd. Oud. praeter S „hoc modo si" ATS. [2])
„ 291, 26: „alia in re lege" PVKN „alia in lege" ARTS.

Recedit Victorinus ab optimis libris mss. his locis:

p. 169, 40 et 43: „perverse" P^{2}ART om. P^{1}GE (V deficit).
„ 181, 23: „distribui" GEART „tribui" PV.
„ 190, 27: „jurisconsulti" P^{2}V^{2}GEART „jureconsulti" P^{1}V^1.
„ 191, 37, 38, 41: „porcam" etc. P^{2}ART „porcum" etc. P^{1}VA.
„ 192, 5: „aliud aliquod alicujus factum" ART „aliud aliquid factum" PVGE.
„ 199, 21: „in praesentia" ART „in praesenti" PVG.
„ 210, 31: „distributam" GART „distributarum" PV.
„ 213, 2: „arguimus" GART „arguamus" PV.
„ 217, 28: „apud quos" ART „apud quem" PVG.
„ 219, 6: „aut quamvis" GART „ut quamvis" PV.
„ 222, 17, 30: „facultates ART „facultas" PVG.
„ 248, 27: „quod" ARTE „id quod" PVGB.
„ 248, 37: „quin pecuniam" TSG^2 „qui pecuniam" PVG^1 „qui non pecuniam" REB.
„ 252, 42: „contrariis locis" P^{2}ART „ex contrariis locis" P^{1}GB „et contr. loc." V „e contr. loc." E.
„ 263, 33: „explicatione" ART „explanatione" S „exemplificatione" PVK. [3])
„ 279, 3: „veniret" ART „venit" PV „veniat" G.
„ 280, 11: „quam" ARS „quae" P.
„ 285, 1: „haberi oportere" GSR „habere oportere" PVA.
„ 295, 44: „quippiam" S^{2}ART om. PVS^{1}Erf.
„ „ „deroget" S^{2}ART „derogat" PVS^{1}Erf.

Quod si jam in his exemplis Victorinum saepius a partibus videmus stare librorum ART, suspicio ejus exemplar permultis locis haud dissimile fuisse archetypo codicis T, ex quo A descriptus est [4]), magis eo comprobatur, quod

[1]) cf. anal. Tull. II adnot. 119.
[2]) cf. Jahnii annal. phil. 79 p. 496.
[3]) cf. Jahnii annal. l. d.
[4]) cf. Baiter ad II, 21, 63.

etiam eis locis, in quibus AT peculiare quiddam habent, ab his contra ceteros facit; licet non omnia exhibeat vitia, quae partim post quartum saeculum in archetypum horum librorum illata sunt. Praeter depravationes codicum AT complura vitia libri Trossiani in suo exemplo Victorinus invenit. Haec vero utriusque generis exempla collegi:

p. 161, 3: „inspexerat" ARTP^2 „aspexerat" P^{1}GSE (V deficit).
„ 165, 28: „animis" (F, „in" add. D. s. l.) AT „in animis" PER (V deficit).
„ 192, 1: „alius" AT „aliquis" PVGER.
„ 194, 10: „et ceteris quidem in" AT „et in ceteris quidem" PVGER.
„ 194, 10: „reperientur" ART „reperiuntur" PVGE.
„ 196, 37: „implicata est" AT „est implicata" PVGE „est implicita" R.
„ 210, 16: „et quid" AT „aut quid" PVGR.
„ 214, 16: „nomen est uniuscujusque personae" AT [1]) „nomen est, quod unicuique personae datur" PVGR.
„ 231, 36: „genera dividentur" GAT „genera dividuntur" VR „dividentur genera" P.
„ 239, 36: „non rei solum" AT „rei non solum" PVGE „non solum rei" R.
„ 256, 25: „quod si" T „quid si" PVGEBAR.
„ 257, 22: „auditoris" AT „auditorum" PVGEBR.
„ 280, 1: „aut a" AS^2 (T deficit) „a" PS^{1}R. [2])
„ 280, 19: „quod quidque" (sic DB) A (T deficit) „quod quisque" (F) PS.
„ 283, 5: „sumetur" P^{2}AR (T deficit) „sumitur" P^{1}S.
„ 283, 18: „compareť" A (T deficit) „comparat" PSR.
„ 283, 23: „oportet" (sic D) A (T deficit) „oportebit" PSR.
„ 284, 1: „utrumque" S^{2}A (T deficit) „utrorumque" P „utroque" S^{1}R.
„ 285, 5: „accuset" A (T deficit) „accusat" PSR.
„ 295, 42: „pars est ejus in qua" (sic FD^2) AT „pars est in qua" (D^1) P „pars ejus est in qua" R.
„ 193, 16: „sit" R om. PVEAT.

[1]) Quae h. l. Victorino cum AT communis est lacuna imprimis testimonio est, ejus exemplar et codicem T ex simillimo fonte defluxisse.
[2]) cf. quae exposuimus in dissert. p. 20.

p. 195, 12: „fecerit“ R „confecerit“ PVGEAT.
„ 198, 5: „summam rem publicam“ R „summam rei publicae“ PVEAT.
„ 198, 36: „contrahet“ RA „contrahit“ PGST „trahit“ V.
„ 207, 36: „morem“ RT^1 „rumorem“ PVGAR^2.
„ 210, 31: „autem“ RP^2 om. P^{1}VGAT.
„ 236, 12: „locus in mari sine portu“ RS „locus sine portu“ PVGAT.
„ 244, 10: „tripertitam esse dicunt“ AR „tripertitam putant esse“ PVGEB „putant tripertitam esse“ T^1.
„ 247, 25: „proferunt“ R „proferent“ PφEBAT.
„ 261, 7, 9: „minuendi“ R „deminuendi“ PAT.
„ 267, 40: „item quod“ RP^2 „quod“ P^{1}VAT.
„ 268, 5: „cenarit“ R „dein cenarit“ KSAT „decenarit“ PV.
„ 274, 2: „rem publicam“ R „rem“ PVSATN.

Sed satis de scripturis, quae Victorino cum codicibus minoris pretii sunt communes. Certum est, ejus exemplar deterius fuisse nostris optimis; idem tamen compluribus integrum fuit additamentis, quae in hos illata sunt. Velut non habuit foedum glossema I, 15: „ac juridicialis quidem et ipsa in duas distribuitur („tribuitur“ VE) partes“; cf. p. 190, 30: „ac juridicialis quidem in duas partes distribuitur.“ Veram hanc esse scripturam [1]) non tam sententia efficitur, quam ipsis libris mss., in quibus glossema addi et mutari videmus. Nam cum optimi Victorini codd. Darmst. et Frising. praebeant: „ac juridicialis quidem in duas partes distribuitur“, nasci videmus glossema in Ciceronis codd. VTErf.: „ac juridicialis quidem ipsa et in duas“ etc.; cod. P, qui habet: „juridicialis ipsa . .“, eodem modo ducit ad lectionem „ipsa et“, ut dici liceat in vetustissimis codd. PV, quibus TA^{2}Erf. accedunt, scriptum fuisse: „ipsa et“;

[1]) Excepta collocatione verborum „partes distribuitur“, quae Victorinus, similis Albini et Julii Victoris (cf. dissert. p. 64 et supra p. 10), transposuit, quod saepius facit, velut:
p. 194, 8: „dicere Orestes“, Cic. I, 19: „Orestes dicere“.
240, 42: „aurum melius habeat“, Cic. I, 51: „melius habeat aurum“.
242, 1: „constat ex una similitudine pluribusve“, Cic. I, 54: „ex una similitudine constat pluribusve“.
263, 18: „accusator ergo“, Cic. II, 19: „ergo accusator“.
275, 28: „omnibus locis“, Cic. II, 56: „locis omnibus“.
284, 37: „uti partibus“, Cic. II, 80: „partibus uti“.
294, 36: „scriptum ergo is qui“, Cic. II, 125: „ergo is qui scriptum“.
304, 20: „multas esse res“, Cic. II, 172: „esse multas res“.

quod qui ascripsit monere voluit, eodem modo, quo constitutio generalis paulo ante in duas partes divisa sit, etiam priorem illius partem in duas distribui partes; in addendis autem verbis „ipsa et“ usurpavit „et“ pro „etiam“; cf. supra p. 7. Deinde vocabula „ipsa et“, quae ferri non possunt, duplici modo in deterioribus libris ita corriguntur, ut aut „et“ deleatur, aut ante „ipsa“ ponatur; illud fieri videmus in GER codd. Oud. praeter S et VoI, hoc in SA^{1}VoI Duisb. Quarum rationum editores maximam partem priorem secuti sunt, posteriorem sequitur Kayserus, cum ad locum sanandum transpositionem sufficere, neque opus putet esse [1]) conjectura Linsmayeri (l. a. adn. 21) „ipsa item in“. Qua et ipse facile nos carere puto, non vero quia verba, quae post „juridicialis quidem“ leguntur, recte in deterioribus libris correcta sunt, sed quod ex ipsa perversa collocatione, quam in VP obtinent, intellegitur, recte in Victorini lemmate deesse. — Idem p. 241, 1 non habet „virum“, quod fere legitur post „tuum“ I, 51 fin.: „si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum virum malis an illius“? In his „virum“, quod altero loco positum est, non a Ciceronis manu esse aeque ex collocatione hujus verbi apparere puto, ac superiore loco. Invenitur enim in:

PERIV Oud.: „tuum virum malis an illius“
VGAT: „tuum malis virum an illius“
LI: „tuum malis an illius“
S: „malis tuum virum an illius“.

Ex eo, quod jam in vetustissimis codd. PVG vario modo collocatum est „virum“, nascitur suspicio, primum superscriptum fuisse:

virum
„tuum malis an illius“,

deinde modo post „tuum“, modo post „malis“ in verborum ordinem receptum esse. Minime autem orationem illa voce egere, intelliges, cum comparaveris similia membra quae antecedunt, in quibus non repetitur nomen substantivum: „utrum illudne an tuum malis (sc. aurum)“? — „tuumne an illius malis (sc. ornatum)“? Mature vero illatum esse „virum“ demonstrant Jul. Victor p. 408, 26 et Albinus p. 540, 13. Quid quod jam Quintilianus (V, 11, 28) invenisse videtur „utrumne tuum virum malis an illius“? Sic edidit

[1]) cf. Jahnii annal. phil. 79 p. 489.

Halmius nullam lectionis varietatem adnotans; deest tamen „virum“ in cod. Bambergensi [1]), qui cum optimis libris Quintilianeis sit adnumerandus, dubito, num „virum“ in illius verborum contextu sit retinendum. Hoc certe concedendum est, vocabulum illud, quod Victorinus in suo exemplari non habuit, de collocatione suspectum esse.

In eadem Aeschinis Socratici dialogi particula [2]) sanum non est extremum illud, quod I, 52 Aspasia a Xenophonte interrogat: „quid si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis?“ Sic legi solent haec verba, quorum postrema: „utram malis“ non inveniuntur nisi in LIII optimo Gronovii codice; V et codd. Albini p. 540, 19 habent „utrum malis“; PEART: „utrum illius malis“. Quod in recentioribus illis codd. Leidd. et Gronoviano exstat „utram malis“ correctum est, nisi fallor, ex corrupta illa scriptura „utrum malis“. Nec minus displicet id, quod solum codicum auctoritate nititur: „utrum illius malis“, cum in simplici interrogatione ferri vix possit „utrum“, quod non usurpari solet nisi in interrogatione disjunctiva. Videntur potius verba, quae post „utrum“ scripta fuerunt, mature intercidisse; hoc cognovit Baiterus, cum sententiam interrogationis, quae periit, ita restitui vellet (cf. Kayseri adn. crit.): „utrumne tuam an illius malis“. Simillima enim interrogatione disjunctiva enunciationes quae antecedunt terminantur, cum semper duas res ad eligendum proponat Aspasia; cf.: „utrum illudne an tuum malis“ — „tuumne an illius malis“ — „utrumne tuum [virum] malis an illius“ — „tuumne equum malis an illius“. Quam ob rem etiam in extremo membro exspectemus oportet interrogationem disjunctivam; hanc quantum conjectura assequi potuit reposuit Baiterus; Victorini ope simillime sic restituitur: „utrum *tuamne an* illius malis“ (PEART: „utrum illius malis“)? cf. p. 241, 6 „‘quid, si’ inquit ‘uxorem meliorem habeat, quam tu habes, tuamne malis an illius?’“ Omittit interpres, qua est negligentia, „utrum“ ante „tuamne“, atque immutat verborum ordinem: „malis an illius“ pro „an illius malis“ cf. supra p. 40.

[1]) Affert enim hujus codicis scripturam Halmius in disputatione de C. Julio Victore p. 408: „utrumne tuum malis an illius“?

[2]) cf. Aeschinis Socratici dialogi tres etc. ed. Joh. Fr. Fischerus, Lipsiae 1786 p. 180; C. Fr. Hermann: disputatio de Aeschinis Socratici reliquiis, Gotting. 1850 p. 16 seq.

Saepius in libris Tullianis vocabulum quoddam, cum ex prioribus cogitando suppleri oporteat, repetitur, quod in Victorini exemplari nondum factum est. Velut praepositionem „de“ Ciceronem I, 9 non bis posuisse arbitror, quia altero loco non habetur in illius commentariis p. 178, 30: „eum autem, inquit, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, materia artis ac partibus, scribere oportere existimamus.“ Consentit ille cum optimis codd. PG (V deficit) in omittenda praepositione „de“ ante „materia“, quam in appositione „materia artis ac partibus“, quae proxime sequitur post vv.: „de duabus reliquis rebus“, non repeti, nihil habet offensionis; ut II, 170 legitur: „quoniam ergo de honestate et de utilitate diximus, nunc restat, ut de eis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine et affectione perscribamus“ [1]). Ex libris inferioris notae carent I, 9 repetita praepositione LIII et duo Gronoviani, in ceteris omnibus eam repetitam esse facile intelligimus, cum ipsum Victorinum bis illam in paraphrasi v. 25 et 29 addere, et in libris deterioribus, qualis Bamberg. est, haberi etiam h. l. cogitamus. — Similiter nomen substantivum, quod praecedit, merito non repetit ille p. 201, 9: „Et supra dixit: ‘quare cum tam diversa sint genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque necesse est.“ Ciceronis libri mss. post „unoquoque“ adjiciunt „genere“ (I, 20 fin.), quod nomen ex numero plurali „genera“ nulla difficultate suppletur. Atque interpretem sequi praefero, quia accurate se h. l. exscripsisse verba Tulliana indicat vocabulis „et supra dixit“; neque ejus exemplar fuit vitiatum, quippe quod exhibeat „cum — sint“, quam scripturam non invenies nisi in melioribus codd. [2]) — Eadem est ratio II, 50: „atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium; nunc exponemus, in conjecturalem constitutionem qui [loci communes] incidere soleant“. Verba quae inclusi desunt apud Victorinum p. 271, 33; et quanam re commendatur molesta repetitio „locorum communium — loci communes“? Immo quemadmodum in deteriore illius cod. Bambergensi addi videmus „loci communes“, sic in omnibus libris Tullianis eadem ex-

[1]) Non multum tamen huic exemplo tribuo, nam antiquissimi Victorini codd. habent p. 303, 25: „quoniam ergo de honestate et de utilitate diximus, restat, ut de necessitudine et affectione perscribamus“.

[2]) „cum“ PVGATSEErf. „sint“ PVGEErf.

plicandi causa ad „qui“ in margine ascripta fuisse existimandum est. — Item paucis absolvam quae leguntur II, 155 in. „nunc expositis eis argumentationibus, quae in judiciale causarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus et demonstrativum argumentandi locos et praecepta dabimus.“ Victorinus haec omnia afferens p. 300, 24 seq. non habet „genus“ post „deliberativum“; quod maxime placet, cum mox praecedat: „judiciale causarum genus“. Est autem lectio „in deliberativum et demonstrativum“ ex uno saltem codice Voss. I prolata. Denique Gruteri suspicio II, 176: „pecuniam in mare dejicere inutile, at non eo consilio, quo Aristippus fecit (dejecit)“, interpreti cuidam deberi verbum „fecit“ („dejecit“) comprobatur testimonio Victorini p. 304, 27. In Ciceronis libris mss. invenitur:

„fecit“ PS[1]VoIIILIII.
„dejecit“ LIIIPal.IIGrev., in S suprascr. a sec. m.
„dejecit cadavera“ AT. [1])

Simili ratione editores partim „fecit“ (Oudend. Klotzius Kayserus), partim „dejecit“ (Ernestius Schuetzius Orellius) receperunt; quorum posterius cum Oudendorpio interpreti tribuere non dubito, qui ita scripsit ex similitudine eorum quae praecedunt: „ad hostes transire turpe videtur esse, at non illo animo, quo Ulixes transiit“. Verum „fecit“ quoque, cum a Victorino omittatur, suspectum mihi videtur, ut supra p. 10 idem verbum Julio Victore duce deleri voluimus I, 98: „haec si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intellegetur; sin varie [fiet] et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit“.

Etiam ad singula verba mutanda Victorini explanationes adhiberi licet. Velut faciunt p. 180, 26 contra Klotzium et Kayserum, qui scribunt I, 10: „cum autem nominis (controversia est), quoniam vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur.“ Victorinus tuetur l. a. lectionem „quia vis“, quam editores illos non relinquere oportuit. Nam quod Kayserus inveniri dicit „quoniam“ in P[2]Erf.K, non multum Erfurtensi, recentiori libro, tribuendum est, nec certi quidquam constat de codice, quo Kauchius usus est, ut quaestio utrum „quoniam“ an „quia“

---

[1]) „Cadavera“ ex Victorini explicatione desumptum videtur, „ut sociorum cadavera tempestatibus liberaret“, cf. p. 9 fin.

scribendum sit, maximam partem a cod. Parisino dependeat. Qui quidem a manu prima exhibet vitiosam lectionem „quamvis“, quae nata est ex „qua vis“, ut in archetypo codicis P scriptum fuisse conjicio, cum in E h. l. exstet „qua vis“, et in ipso Parisino in eadem definitione, quae redit II, 52, invenitur „qua vis“; ex „qua vis“ autem P[1] fecit „quamvis“, P[2] „quoniam vis“, non id quod fieri oportuit „quia vis“, sicut inferius eadem altera manus intulit „quoniam“, cum „qua“ inveniret: „quia actio translationis et commutationis indigere videtur“ („qua“ P[1], „quoniam“ P[2]). Aeque vero I, 10 recipiendum non est „quoniam“, atque in his repudiatum est. Nam praeter Erf. et Kauch. ceteri conspirant in „quia vis“, tum nulla est lectionis varietas II, 52, ubi eadem verba repetuntur, denique tuetur lectionem „quia vis“ Victorinus p. 180, 26. — — Idem consentit p. 239, 24 cum prima manu codicis P in „numerum“, quod praeferendum mihi videtur ei, quod nunc I, 49 legitur: „in praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixtim dispersimus“. Aptam enim explicationem non habet „numeros“, quod verbum prave accommodatum est numero plurali „modos et partes“. Ibidem Klotzius et Kayserus omnibus fere libris spretis scripserunt „in praesenti“, quod, cum sequatur tempus perfectum „dispersimus“, necessarium videtur esse. Ciceronis codd. mss. habent: „in praesentia“ PVGART „impraesentiarum“ [1]) LI[2]PalII „impraesenti“ Grevenbr. — Similiter I, 58 in. Victorinus aliquid ad orationem Tullianam emendandam confert; ex eis enim, quae dicit p. 244, 1: „quae est enim propositio? 'Melius accurantur, quae consilio reguntur, quam quae sine consilio administrantur'“ corrigendum puto „reguntur“ pro „geruntur“, quod scriptum est in codd. Cic. Nam flagitat primum sententia verbum cognominatum vocabuli „administrantur“, huic vero significationi multo accuratius convenit „reguntur“, quam „geruntur“; tum ipso verbo regendi non gerendi postea utitur Cic. in approbatione propositionis: „domus ea, quae ratione regitur, - - - exercitus is - - commodius regitur“; denique Victorini lectionem habet Quintilianus V, 14, 7: „sumamus enim e Cicerone quinque partium exemplum: melius guber-

---

[1]) cf. de hac particula difficili ad explicandum Hand Tursell. III p. 234 seq., Corssen: De ratione pronunciandi etc. II, 299, Naegelsbach: praec. lat. scribendi p. 59 adnot.

nantur ea, quae consilio reguntur, quam quae sine consilio administrantur", quamquam silentio dissimulandum non est, eundem in eis, quae V, 14, 7—9 exponit, saepius a Ciceronis verborum contextu recedere. [1]) Non vero ad firmandam emendationem, quae Quintiliano et Victorino debetur, affero Julium Victorem p. 409, 23, cum hic Halmius demum pro eo quod est „geruntur" rescripserit „reguntur", qui tamen idem „geruntur" intactum reliquit apud Albinum p. 541, 4. — — I, 82 Kayserus in verbis: „si judicatum aliquod inferunt" reliquit lectionem vulgatam, quae est: „sin judicatum aliq. inf.". Utrumque pari codicum auctoritate nititur: „si" VGAT „sin" PEBR codd. Oud.; in eis vero, quae Cic. § 80 seq. exponit, secunda et tertia pars inducitur particula adversativa: § 81: „quod autem pro signo sumetur", § 82: „cum autem pro comparabili aliquid inducetur"; sequor igitur codices PEBR, qui etiam in initio quartae partis exhibent particulam adversativam, quam Victorinus quoque legit p. 252, 12: „sin judicatum aliquid [2]) inferetur." — — Eodem duce (cf. p. 254, 18) I, 86 fin. scribendum est: „cum igitur ex eis, quae sumentur, aliquid non concedetur, sic infirmabitur". Fluctuant codd. inter tempus praesens et futurum: „sumentur" PVSE, „sumuntur" GATB, „conceditur" omnes; cum autem Victorinus bis habeat tempus futurum, idque priore loco vetustissimis libris Tullianis (PVS) confirmetur, praestat „conceditur" in „concedetur" mutare, quod servavit prima manus codicis Darmst., quam „sumentur" in „sumuntur". Nam sic demum consecutio temporum bene se habet: 'infirmabitur, cum - - sumentur - - - concedetur'.

Gravissime corrupta et glossematis foedata esse quae II, 15 fin. leguntur: „ex quibus constitutio est, id est quaestio, eadem in conjecturali, quae judicatio: occideritne" editores dudum intellexerunt. Et sensum haud dubie recte restituerunt Ernestius et Schuetzius (cf. ed. Orell. I), quem pervertunt Orellius et Klotzius, cum „constitutio" neque eadem sit quae „judicatio", neque eadem quae „quaestio". Kayserus, quo nemo majorem operam in his verbis posuit, complures vias est ingressus. Proposuit enim in Philologi vol. VI p. 709: „ex quibus quaestio eadem in conjecturali quae

[1]) cf. Meisteri quaestion. Quintil. I p. 16.
[2]) „Aliquid" est etiam in GRLIII.

judicatio", aut: „ex quibus constitutio: inde quaestio eadem conjecturalis quae judicatio" [1]); in adnott. ad Cornificium p. 25, 12 requiri putat: „ex quibus quaestio eadem in conjecturali constitutione quae judicatio"; denique in edit. scribit: „ex quibus [constitutio] est [id est] quaestio eadem [in conjecturali] quae judicatio: occideritne". Ipse addiderim lemma Darmstadiensis p. 261, 22: „quaestio eadem conjecturalis quae judicatio" (D[1]); unde verba Tulliana ita corrigi malo: „ex quibus [constitutio] est [id est] quaestio eadem conjecturalis quae judicatio". Perturbationem autem inde ortam esse suspicor, quod aut rhetores aut librarii ad verbum „conjecturalis" utique adjiciendum putabant „constitutio", offensi illi in conjunctione „quaestio conjecturalis" pro „quaestio in constitutione conjecturali".

Duobus locis Halmius lectionem vulgatam suo jure mutavit; primum scribit p. 280, 19: „quod cuique - - nasci videbitur" pro eo quod vulgatur: „quidquid - - nasci videbitur". Et cum proprius ad vestigia optimorum Ciceronis codicum [2]) accedat quod conjicit Halmius, in verborum contextum recipio „quod cuique" pro „quidquid". Nec minus reponendum est ex eodem Victorini lemmate: „aut ex ipsa re aut ex simili majore minoreve". Nam duo tantum ponit Cic., ut explicat Victorinus p. 280, 22: „dat praeceptum, ut argumenta sumamus (in genere negotiali) vel quae ex ipsa re sumuntur, vel quae ex simili aut majore aut minore". Si de tribus ille cogitasset membris, etiam in tertio repetiisset praepositionem „ex", quae non prolata est, nisi e cod. A, quamquam omnes editiones ita exhibent praeter Kayserianam, quae praebet: „aut majore"; contra quod dicendum videtur, particula „ve" post „minore" indicari, „majore minoreve" unam efficere notionem, quae non ex aequo ponatur cum prioribus, sed subjiciatur verbo quod est „simili". Turbatum autem aliquid esse in codd. Cic. facile intelligis, cum in unum confers lectiones:

„majore" S[1]
„aut majore" PVRNVoIILIII in S suprascr.

[1]) Quae praeterea ibid. collegit Kayserus ex verbis: „deinde admonet, quod in conjectura non concedetur" retractanda sunt, postquam Halmius ex D1 haec publicavit (p. 260, 14): „deinde admonet, quod in conjectura eadem, quae quaestio est, ipsa est judicatio: occideritne".
[2]) „quod quisque" PSA (quidque A), „quidquid" R codd. Oud. praeter S.

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. C
14. C
Fer
15.
deutung

Die
gens 10

„aut ex majore" A (T deficit)
„vel majore" VoIL III.

Habes progressus depravationis, in qua prima saltem manu codicis S comprobatur optima Victorini scriptura, quae redit p. 281, 3: „ex ipsa re aut ex simili majore minoreve nasci videbitur". — Alter locus, in quo Halmio assentior, est II, 166: „sunt igitur multa, quae nos cum dignitate tum fructu quoque suo ducunt"; sic editt. et codd. Oudend.; codd. Baiteri: „tum („tunc" P) quoque fructu". Dici tamen non solet: „cum — tum quoque" pro: „cum — tum, cum — tum etiam, tum maxime", ut Halmius non sine causa ad p. 303, 4 conjecisse videatur, optimorum codicum lectionem „tum quoque fructu" ex interpretatione ortam esse. Ac quod ille in Victorini commentariis reposuit „tum fructu suo" idem apud Ciceronem II, 166 restituendum est.

Sed monet postremus locus, ut redeamus ad eos, in quibus de glossematis agitur expellendis. Quo in numero primum affero p. 226, 18: „adjunctum negotio autem intellegitur quod majus" etc. Inserunt libri Tulliani „id" ante „intelligitur"; scriptor autem incertus, qui meliore codice, quam nostris optimis usus est, habet p. 595, 16: „adjunctum negotio autem illud intellegitur"; invenit igitur in suo exemplo „illud" pro „id", unde nascitur suspicio, primitus non scriptum fuisse pronomen demonstrativum, sed postea vario modo adjectum esse. Neque enim corruptum h. l. Victorini codicem fuisse perspicuum est ex lectione „adjunctum negotio autem", quae ei cum optimis PVGAT est communis („adjunctum autem negotio" ceteri). Quam ob rem eundem etiam in omittendo pronomine „id" verum servasse verisimile est, praesertim cum pronomina demonstrativa ante relativa saepius in antiquorum libris ex interpolatione addita esse constet. — II, 43 legitur fere apud Ciceronem: „post rem (consideratur) quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitem tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit" [1]). Quaeritur de verbis „tam familiarem comitem", quae ex glossemate orta sunt. Nam ex correctura, ut puto, scriptum est in recentissimis codd. Pal. III Grevenbr. VoI tribus Oxonn. „comitem", meliores libri mss. P²ARTErf. codd. Oud. praeter S et VoI

[1]) Causam, quam conferri jubet Cic., exposuit II, 14.

praebent „comitatum", quod de uno homine dici non posse patet. Cum de codd. VG nihil sit traditum, solum cod. P sequamur oportet, qui a manu pr. omittit „comitatum"; idem fit in Oudendorpii Schol. [1]), ut minime dubitem, quin suspectum illud vocabulum merito ab Orellio sit inclusum, a Kaysero deletum. Jam restant verba „quod illum tam familiarem tam aequo animo reliquerit", in quibus parum apte particula „tam" uno interjecto vocabulo repetitur. Scripsit igitur Kayserus: „quod illum jam familiarem tam aequo animo reliquerit". [2]) Satius tamen est verba „tam familiarem", quamquam ferri possunt, quia praecedit „quod in itinere se tam [3]) familiariter applicaverit", prorsus abjicere; nam eo ducunt vestigia Victorini codicum, in quibus depravationem nasci et progredi videmus, cf. p. 268, 6:

D¹: „quod illum tam aequo animo reliquerit."
D²F: „quod illum tam familiarem aequo animo reliquerit."
Bamb. et Basil.: „quod illum tam familiarem comitatum aequo animo reliquerit."

Addita autem sunt vv. „tam familiarem" sive „tam familiarem comitatum" a rhetore quodam, ut splendidam efficeret oppositionem ad vv. „aequo animo reliquerit."

Multo majores depravationis progressus videmus in verbis, quae II, 74 in. Schuetzius et Kayserus ita conformarunt: „hoc causae genus et ex suis locis tractare oportebit et adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta". Alia sunt in libris mss.: omnes omittunt „et" ante „ex", longe plurimi habent „his" pro „suis" et „tractari" pro „tractare", optimi PA [4]) carent particula copulativa „et" ante „adhibere", quae in deterioribus nimirum adjecta est. [5]) Primum scriptura „ex suis locis" non majorem habet auctoritatem, quam cujusvis hominis docti conjectura, cum inveniatur in recentissimis libris Grevenbr. et tribus Oxonn., in quibus etiam „comitatum" in „comitem" correctum esse modo vidimus. Patet enim „his" ferri non

[1]) „Schol. a m. pr. non agnoscit ultimam illam vocem (sc. comitatum). Et sine sensus detrimento abesse poterat, sed habet quoque Victorinus"; Oudendorp.

[2]) Melius hoc quidem, quam quod proposuit Philol. VI, 711: „quod illum tam familiariter comitatus aequo animo reliquerit."

[3]) Omittit „tam" Victorinus p. 268, 5, Priscianus habet IX, 32: „tam familiariter se applicaverit."

[4]) T deficit, de VG nihil notatum est.

[5]) cf. dissert. p. 49, supra p. 7, 11.

2. G
Secundan
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. E
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. C
14. C
Fer
15.
deutung

Die
gens 10

posse, cum antea de nullis dictum sit locis; itaque editt. Orellianae habent: „hoc causae genus ex suis locis tractari oportebit et adhibere“; sed ut praetermittam constructionem contortam, — nam requiritur infinitivus activi „tractare“, — unde aliter omnis causa tractatur atque ex suis locis? Huic perversae sententiae Schuetzius et Kayserus eo succurrere studuerunt, quod vv.: „ex suis locis tractare“ opposuerunt eis, quae sequuntur, addito „et“ ante „ex“. Jtaque quot sunt verba, tot necessariae sunt mutationes: add. „et“ ante „ex“, „suis“ pro „his“, „tractare“ pro „tractari“, „oportebit et adhibere“ pro „oportebit adhibere“ (PA). Ne multa, expellendum est turpissimum glossema secundum lemmata Victorini p. 282, 28: „hoc causae genus (compensativum scilicet) oportebit adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta“. Praetermissa explicatione Victorini „compensativum scilicet“ habes, quod Ciceronis esse existimo [1]), qui de locis comparationis propriis § 75 demum praecipere incipit „ipsa autem comparatio“ etc.; § 74 non exponit nisi de constitutione conjecturali et definitiva, quarum rationem atque praecepta ad illam adhibenda esse § 74 in. praemittit. En denique longa depravationis series inde a Victorini libris mss. usque ad deterrimos codd. Gruteri:

„genus oportebit adhibere“ Victorini DB
„genus oportebit [tractari et] adhibere“ Victorini F
„genus [ex his locis tractari] oportebit adhibere“ PAVoII
„genus [ex his locis tractari] oportebit [et] adhibere“ SRVoI LIII („tractare“ Vo I)
„genus [ex his locis tractari] oportebit. [Oportet] adhibere“ LII
„genus [ex his locis tractari conveniet.] Oportebit adhibere“ codd. Gruteri, editt. veteres.
„genus [ex suis locis tractari conveniet.] Oportebit adhibere“ Grevenbr. tres Oxonn.

Pag. 302, 13 testis est Victorinus Schuetzium suo jure II, 162 in. delevisse „ante“: „veritas (est), per quam immutata ea, quae sunt aut ante fuerunt aut futura sunt, dicuntur“; ex collocatione enim, quam in libris Tullianis obtinet „ante“, conjicias, primum suprascriptum fuisse vocabu-

[1]) Si nimis dura videbitur dicendi ratio „hoc causae genus oportebit adhibere“, inserere fortasse non displicet „ad“ ante „hoc“.

lum ac postea modo ante modo post „aut“ in verborum contextum irrepsisse. Cf.:

„sunt aut fuerunt“ LI¹.
„sunt aut ante fuerunt“ PR codd. Oud. praeter LI.
„sunt ante aut fuerunt“ AT codd. Albini p. 549, 5.

Accedit quod II, 66 ubi eadem exponuntur quae II, 162, [1]) non invenitur „ante“ in definitione veritatis: „veritatem (appellant), per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat aut factum aut futurum sit“. Qua re vocem „ante“, quam Schuetzius solo Leid. I fretus delevit, quam sensus non flagitat, quam collocatio vocat in suspicionem, quam Victorinus omittit, abjicere non dubito. Quod vero ibid. interpres habet „veritas est“ („est“ D s. l. m. pr.), verbum substantivum de suo potius supplevisse existimandus est, quam in exemplo suo invenisse, quamquam exstat in nonnullis libris mss. (RLII III VoI). Diffici-

[1]) Bader: „De Ciceronis rhetoricorum libris“ p. 27. Occasione data assentiri me Badero commemoro in emendatione memoriae definitionis, quam profert p. 7, 2; modo ne p. 8 silentio praeterierit Kayserum primum proposuisse: „memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem retinendam accommodatio“, cf. Philol. VI p. 708, Jahnii annal. phil. 79 p. 492. Ex rhetoribus, ut hoc addam, Albinus p. 526, 27 praebet lectionem vulgatam, Cassiodorus p. 495, 19 definitionem sic conformat: „memoria est rerum et verborum animi firma perceptio.“ — Eis, quae de imperfecta Ciceronis rhetoricorum forma et habitu exposuit Baderus, adjici liceat, etiam definitiones partis juridicialis inter se dissentire; cf. I, 14: „juridicialis est, in qua aequi et recti natura aut praemii aut poenae ratio quaeritur“, eadem verba redire dicit Baderus (p. 20) II, 69; sed sunt quibus inter se differant: „juridicialis est, in qua aequi et *iniqui* natura *et* praemii aut poenae ratio quaeritur“; cf. praeterea II, 109: „juridicialem causam esse dicebamus, in qua aequi et *iniqui* natura *et* praemii aut poenae ratio quaereretur; eas causas, in quibus de aequo et iniquo quaeritur, exposuimus; restat nunc, ut de praemio et de poena explicemus“. Ex his locis in nonnullis libris Tullianis (P²Erf.VoII) I, 14 correctum videtur „aequi et iniqui“; saltem inde restituendum est „et praemii“ pro „aut praemii“, ut in suo exemplo invenit Victorinus p. 189, 41. 190, 13 et Cassiodorus p. 496, 29. — In definitione comparationis (cf. Bader p. 16, 3) pessime se habet I, 15 fin. „rectum aut utile“; requiritur potius „honestum aut utile“, quod tacitus substituit Cassiodorus p. 497, 1: „comparatio est, cum aliud aliquod alterius („alicujus“ ASRT, om. PVG) factum honestum aut utile contenditur, quod ut fieret illud quod arguitur dicitur esse commissum.“ Cf. quae de comparatione exponit Cic. II, 75—78, imprimis § 76: „de ea ex deliberationis praeceptis dicere (oportebit)“; in deliberativo autem genere ‘placet finem esse honestatem et utilitatem’ II, 156. — Non bene denique factum est, quod quae tractantur I §§ 80—83 alio ordine disponuntur I, 79: „ex eis, quae sumuntur“ etc.

2. C
Secundar
3. I
Delagri
4. S
1871.
Von
5. F
6. F
7. K
8. S
9. V
10. C
dargestel
11. I
stellt.
12. S
13. (
14. (
Fer
15. „
deutung

Die
gens 10

lius est dictu, quomodo factum sit, ut non modo in Victorini lemmate, sed etiam in dialogo Albini p. 549, 4, qui ex perbono codice sua hausit, intercideret „immutata“ ante „ea“. Nullo enim modo oratio hoc vocabulo, in quo omnis sententiae vis posita est, potest carere; quo deleto non magis veritatis quam omnium rerum scientiae vis describitur, ut taceam respondere „immutata“ in loco gemino (II, 66) verbis: „ne - - aliter, quam - -“ — — Attingam denique locum, in quo glossema inesse minus, quam in prioribus liquet. Repetit enim Victorinus p. 277, 5—8 ea, quae exponit Cic. II, 61 hoc modo: „Locus autem communis unus est contra translationem: fugere judicium et poenam eum, qui translatione utatur. A translatione unus locus communis est: perturbari omnia, si non eo pacto agatur, quo oportet. Hae sunt tres constitutiones, quae species non habent“. Desunt in his verba, quae post „quo pacto oporteat“ praebent Ciceronis codd. mss.: „hoc est, si aut cum eo agatur, quocum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem judiciorum omnium pertinere“. Haec omnia suspicionem movent gravissimam; primum non exstant in Victorini accurata explicatione, et quod apud eundem legitur p. 278, 14: „quo pacto oporteat, hoc est, si aut cum eo agatur quicum non oporteat“, non tam ipsum explicationem horum verborum omisisse, quam alios eo invito haec ex Ciceronis codd. adjecisse arbitror, ut in Bambergensi „totum opus Tullianum per partes descriptum est“ [1]). Illud igitur affirmaverim, interpretem non legisse verba, quae modo apposui. Et quid tandem novi eis continetur? Posteriora: „atque hanc rationem ad perturbationem judiciorum omnium pertinere“ inepte repetunt quod antea brevius dictum est: „omnium fore perturbationem“ [2]); priora „hoc est, - - alio tempore“ petita sunt ex translationis definitione, quae cur ex parte hoc loco repetatur, nihil est causae. Bis enim Cic. constitutionem translativam definivit I, 16 in.: „in quarta - - agitur“ et eisdem fere verbis II, 57 in.: „cum autem actio translationis aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, qui-

[1]) cf. Halm. ad p. 156, 30.
[2]) Excidisse in his putabat Ernesti „judiciorum“ ante „omnium“; cf. II, 84 in.: „perturbationem fore omnium judiciorum“, II, 85: „qui — — aliquid sibi spei comparet ex judiciorum perturbatione.“

cum oportet, aut apud quos, qua lege, qua poena, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio translativa appellatur“. Ex his confecta esse patet ea, quae leguntur II, 61: „si aut cum eo agatur, quocum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore“; mutatum autem est „quicum“ in „quocum“ [1]), quod ipsum, licet res sit minuta, non minus interpolationem prodit, quam trita illa formula „hoc est“ [2]), qua inducuntur quae desunt in Victorini commentariis. Denique monere vix opus est, deletis demum verbis illis suspectis concinnitatem et aequabilitatem orationis nasci: „locus autem communis contra eum, qui translationem inducet: fugere judicium atque poenam, quia causae diffidat, a translatione autem: omnium fore perturbationem, si non ita res agantur et in judicium veniant, quo pacto oporteat“.

Facere non possum, quin extrema dissertatione breviter tractem verba, quae leguntur I, 28: „(brevis erit narratio), si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur“. Idem praeceptum auctor ad Her. I, 14 sic tradit: „(cavendum est) ne id, quod semel diximus, deinceps dicamus, hoc modo:

Athenis Megaram vesperi advenit Simo:
ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini:
insidias postquam fecit, vim in loco attulit.“

De sententia igitur eorum, quae praecipit Cicero, nulla est dubitatio; eo major nascitur de conformatione verborum: „in quo proxime desitum erit“, quae aliter ab illo collocata esse pro certo habeo. Victorinus enim bis illa afferens in suo exemplari invenit „quo in proxime desitum erit“; quod altero loco (p. 205, 18) omnes exhibent codd., altero (p. 205, 14) antiquissimus saltem Darmstad. et Bamberg. a m. sec. Neque aliud quidquam in archetypo scriptum fuit codicum PVErf., qui habent:

„ab eo, quo in proxime“ P („quo in“ in rasura, „in quo proximo“ P^{2})
„ab eo, quod in proxime“ VErf. [3]) Victorini $B^{1}F$ (p. 205, 14).

Ex testimoniis optimorum Ciceronis et Victorini codicum apparet, primum praepositionem „in“ non ante, sed

[1]) Nam hoc multo majorem sibi vindicat auctoritatem: „quocum“ PATSVoIILII „quicum“ RVoILIIII.
[2]) cf. dissert. p. 50.
[3]) „Ab eo, in quo proxime“ GART codd. Oud.

post pronomen relativum sive „quo“ sive „quod“ ponendum esse; deinde mutandum non esse „proxime“ in „proximo“, ut facit corrector codicis P et Priscianus X, 55 (= gramm. latt. II p. 545, 2): „sinor, sītus et desinor, desītus paenultima correpta, Cic. pro Cornelio in I: 'coeptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit' idem in I rhetoricon: 'et si non ab eo, quod in proximo desitum-erit, deinceps incipietur'.“ Haec Prisciani scriptura haud scio an bene se haberet, si dictum esset: 'quod in proximo *dici* desitum erit'; nunc vero rejicienda est, cum ferri non possit dicendi ratio 'hoc illudve desitum est' pro eo quod est: 'desitum est in hac illave re'. Nec magis est in usu, quod in adnot. crit. proponit Kayserus: „quo de in proximo desitum erit“. Itaque redeo ad id, quod in Victorini et optimo Ciceronis cod. Parisino in ras. et a m. pr. exstat: „quo in proxime desitum erit“; quod ipsum in Ciceronis verborum contextum recipiendum videtur. At quaenam est ista audacia praepositionem „in“ post pronomen relativum ponentis? Fateor mihi non contigisse, ut similem invenirem anastrophen praepositionis „in“ [1]); verum tamen si quadam similitudine praepositionum uti licet, ex his libris affero II, 40: „potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit aut quibus sine omnino confici non potest“. Simili modo praepositio „sine“ aliis locis a Cicerone vix est transposita; atque etiam ex aliis scriptoribus non afferri solet nisi Horat. sat. I, 3, 68: „vitiis nemo sine nascitur“ et I, 5, 99: „flamma sine thura liquescere limine sacro.“ Haud raro deinde transponitur praepositio „de“, non notam illam dico formulam „quo (qua) de agitur“ [2]), sed ea enunciata relativa, quibus non continetur verbum agendi, velut I, 82: „similitudine ejus rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de judicatum est“; I, 104: „cum aliis peccatis, quae constant esse peccata, hoc, quo de quaestio est, comparatur“; II, 37: „de eo crimine, quo de arguatur“; II, 70: „- - in causam negotialem, qua de ante dictum est“; II, 141: „propter earum rerum, quibus de scriptum est, utilitatem.“ Ex hac anastrophe praepositionis „de“ et „sine“ fortasse licet colligi, Ciceronem audacius etiam „in“ relativo

[1]) Nullo modo conferri possunt pauca illa quae Handius affert exempla Tursell. III p. 356.
[2]) cf. Hand. Tursell. II p. 228.

suo postposuisse, quo omnia ducunt codicum vestigia. Neque enim negandum est, saepius in hoc Ciceronis tirocinio liberiorem inveniri dicendi rationem. [1]) Et si tamen nullo modo postponere quis audeat praepositionem „in“, hoc modo verba conformari velim: „quo in proximo desitum erit“, ita ut „in“ cum „proximo“ et „quo“ cum „desitum erit“ conjungatur.

Sed jam dicendi finem facio: habetis ea, quae cum diutius Ciceronis rhetorica tractarem, ad orationem Tullianam emendandam conferre posse mihi visus sum. Jam si quibus audacius in his libris versatus esse videor, in memoriam sibi revocent quod in praefatione dissertationis dixi, aeque illos interpolatos esse atque rhetorica ad Herennium, cum medio quod vocant aevo legi et explicari non sint desiti. Sint sane dubia, sint incerta nonnulla eorum quae exposui; equidem in aliis locis demonstrasse satis habeo lectionem vulgatam ferri non posse, in aliis acquiescendum esse arbitror in probabilitate quadam. Nunquam enim haec omnia ita possunt probari, ut ab omni parte dubitationes removeantur.

[1]) cf. dissert. p. 29. adnot. 2.